DE VNICA RELIGIONE, STVDIO CATOLICORVM PRINCIPVM, IN REPVBLICA CONSERVANDA,

Liber vnus.

Auctore IOANNE L
lano, Sacræ T

PROOEMIVM.

QVàm in omni vita genere, officij, rectiq; conseruatrix disciplina necessaria sit, cùm ex varijs rerum humanarum experimentis elucet, tum ex ipsa vitiosorum morum natiua quadam peruersitate, intelligi posse videtur. Quæ vt sibi indulget maximè, & quicquid collibuerit auidissimè consectatur: ita illam qua se frænari sentit atque cohiberi, & exosam semper habet, & omni sæpè studio, conatúque persequitur. Verùm qui hac oblectantur inimica disciplinæ licentia, haud pari omnes pernicie in republica Christiana grassantur. Existunt enim plurimi, quibus disciplinæ etiam moderata seueritas ingrata quidem est & inuisa, quique ea vt è medio sublata sit, exoptant vehementer, sed nullam in eo sequuntur rationem, solo libidinis impulsu motúque aguntur: qui in Rempublicam hoc afferunt mali, vt cum metum, honestatemque vis cupiditatis euicerit, manifestis continuò sceleribus, legum tanquam obiecta repagula, obicesque perrumpant. Sed alios reperire licet multo his nocentiores, quos eousq; sibi seruos addixit cæca cupiditas, vt disciplinæ seu legum vtilissimam seueritatem non odijs modò grauissimis prosequantur, verùm etiam iudicijs improbent; nec solis infringant prauè factis, sed & rationibus, omnique argumentorum genere velut machinis admotis, labefactare nitantur: ac ne quid scelerata audaciæ violentiæq; desit, diuinarum etiam testimonia literarum sacrilegis vsurpant vocibus ad instituti confirmationem. Quod quidem tanto faciunt impudentius, quanto manifestius litteris ijsdem coercens illa & castigatrix disciplina laudatur. Sed more tamen suo faciunt. Etenim hæreticorum fere omnium id commune esse reperimus, vt cum vnam in

partem pracipites ferri cœperint, non alia respiciant diuinæ authoritatis testimonia, quibus ab illa possent intentione reuocari, & in ea quæ utrinque temperata est ueritate moderationeque consistere. Sic olim Sabellius, quibus in locis unus diceretur esse Deus, pulchrè uidit; ubi uerò personarum trinitas commendaretur, propositaque rei cura præpeditus, erroreq; fascinatus non aspexit. Sic & perfidus Arrius ea promptissimè complexus est testimonia scripturarum, quæ ad significandam filij Dei imbecillitatem pertinebãt: ab ijs uerò penitus inspiciendis auertit animum, quibus ob unã eandemq; diuinitatis naturã patri significabatur æqualis. Sic (ne uetera tantummodo commemorem) sectarij nostræ huius ætatis, ubi fides iustificare dicatur, uigilanter attendunt; ubi uerò & charitas, & opera ex fide profecta plus etiam multo quàm fides ualere declarantur ad iustitiam, somnolentis ac cæcis potius animis prætereunt. Vbi Christi sacratissimum corpus diuina in cælum uirtute subuectum referatur, legunt studiosè, & fide accipiunt: ubi uerò hoc idem corpus in augustissimo Eucharistiæ sacramẽto esse conuincitur; si legunt, non attendunt; si attendunt, non credunt. Quid igitur nunc est quod miremur nonnullos, qui cum bonorum malorumque permixtionem in Ecclesia demonstratam uel prædictam esse perspexerint, cum præcepta quibus ad patientiam falsorum fratrum pestiúmque cæterarum informamur, didicerint, alijs neglectis locis, quibus ab errore possent reuocari, sic instituendam esse putent Ecclesiam, ut serpere grassarique hæreses sub nomine religionum permittantur? non lupi ab ouilibus arceantur? non ij qui non corpora solùm, sed animas quoque perdunt, attingantur? Aduersus quos libellum quidem nuper unum confecimus ab aduersarijs lacessiti, atque ad defendendam coacti, cum oppugnaretur, Catholicæ fidei ueritatem: sed quia in refellendis obiectis nostra tum præcipuè consumebatur

tur

tur oratio, multa praetereunda fuerunt, quae hoc libello complexi sumus. In quo propositum est ostendere, Christiani principis hanc esse curam primariam oportere, ut in Republica sibi subiecta, unicam religionem, & eam veram (quae sola est Catholica Romana) locum habere patiatur; caeteris omnibus, quae se religiones falso nominant, prudenti iudicio, quoad fieri possit, exterminatis.

IN REPVBLICA CONSTITVENDA, VEL INSTAVRANDA, *& conſeruanda, primam eſſe religionũ habendam rationem.*

CAPVT PRIMVM.

NVMAM Pompilium qui poſt Romulum regnauit, ſcribunt Titus Liuius & Plutarchus, ad continendam in noua republica multitudinem infræ nem atque imperitam, efficacißimam hanc rationem exiſtimauiſſe, ſi primũ deorum metũ omnibus quàm maximũ inijceret: qui cum nõ facilè deſcenſurus in hominum animos videretur ſine aliquo miraculi commento, ſimulaſſe idcirco ſibi cum dea Aegeria congreſſus nocturnos, cuius admonitu quæ acceptißima dijs eſſent, ſacra conſtitueret. Impia quidem hæc erat ſuperſtitio, eorum qui dij non eſſent, velle metum inijcere, adeóq; ſolicitè de colendis ijs, & eo quidẽ modo, qui acceptißimus eſſe poſſet, ſacrorum inſtitutione prouidere: ſed oſtendit tamen illius cura regis, cuius ſingularem in gerenda Republica ſapientiam multa eius inſtituta declarant, quid ſit imprimis ad ſtabiliendam pacandamq; Rempublicam comparandum, quantoq; ſit opere elaborandum ijs rerum moderatoribus, qui Deum verum cæli terræque Dominum fide inſtructi norunt, vt in Republica illius imprimis honos curæ ſit, cul-

tuſ-

túsque eius constituatur sacrorum cæremonijs quàm aptissimis, conuenientissimísque tantæ maiestati. Cum enim sine legibus nulla esse vera respublica possit, atque vt neruis corpus, ita illa legibus firma consistat, harum exordium ab ijs profecto sumendum est, quæ venerationem metúmque præscribunt eius, qui primarius est reipublicæ moderator. Eam ob rem cùm de legibus Plato, & his ipsis constituenda formandáque ciuitate dissereret, primo in loco posuit eas, quæ cultum, quæ orationem, quæ sacrificia, &, vt dicam summatim, quæ sedulam seriámque deposcunt diuini numinis venerationem. Idcirco etiam Romanam ciuitatem Valerius Maximus laudat, quod omnia post religionem ponenda semper duxerit, etiam in quibus summę maiestatis conspici voluit decus. Quapropter non dubitauerunt (inquit) sacris imperia seruire, ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinę potētiæ bene atq; constanter fuissent famulata. Quod igitur in constituenda primum republica, idem erit in eadē post erigēda, si collapsa fuerit, perpetuóq; retinenda, faciendum, vt de religione, qua sincerissimè colatur Deus, prima semper cura suscipiatur. Nam si vel propter regū ac principū offensiones, vel etiam æqualium, funditus interdum ciuitates interijsse memorantur: cur non id magis extimescendum est, ne propter offensum neglectu religionis Deum, (sine cuius benigno fauore nulla Respublica

Lib. 4. de legibus.

Li. 1. ca. 1.

ſtaret) nec obſtante quidem mortalium qualibet ope, ſubuertantur? Neque verò ſe hoc interdum facere, cùm offenſis fuerit crebris & magnis prouocatus, ignorari voluit ipſe, qui ſic denunciet per Amos Prophetam: Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & cōteram illud à facie terræ. Neque hoc immeritò fieri, præſertim ob neglectam, cōtemptámue religionem, ipſe quoque vidit prophanus Poeta, cùm ſcribit:

Amos 9.

Hora li. 3 Car. ode 6.

Delicta maiorum immeritus lues
Romane: donec templa refeceris,
Aedeisq́ labanteis deorum, &
Fœda nigro ſimulachra fumo.
Dis te minorem quod geris: imperas
Hinc omne principium: huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Heſperiæ mala luctuoſa.

Offenditur enim Deus peccatis quidem omnibus, ſed ijs magis quæ aliquam habent læſionem violationémque pietatis: at ijs maxime, quibus tanquam ex profeſſo vera germanaq́ Dei colendi ratio corrumpitur. Hoc namque perinde eſt agere, atque ſi quiſquam regium apertè oppugnet honorem, & eum vel in dubium reuocet, vel neget eſſe deferendum. Qua profectò nulla grauior iniuria videri, nulla maior regibus exiſtere ſolet offenſio. Quoniam igitur Deo imprimis ſuus conſtare debet honos, hic autem gratus eſſe nō poſsit, immò verò nec ſit quidem honos, ſed moleſtum onus iniuriæ, niſi vera religione deferatur, efficitur, in eo primum elaborándum

dum esse, vt ea teneatur ac floreat in Republica, falsis omnibus colendi rationibus adulterinisq; reiectis. Vera autem religio quæ sit, nō id cuiuslibet hominis æstimandum est iudicio. Etenim si res âliæ minores multo, nō cuilibet pafsim dijudicandæ creduntur: quid fieri poterit imprudentius insulsiúsue, quàm si grauifsima hæc maximáque omnium religionis causa, cuiuslibet decisione, quia se forsitan mentiatur esse præditum spiritu Dei, finienda putetur? Præposterum erit hoc profecto, nec ordinis perturbatifsimi grauifsimã poterit deformitatem effugere: si cum humanas res prudentifsimi cuiusque censura constituendas esse fateamur, diuinas cuiuslibet pafsim arbitrio committamus. Diuinum plane sit oportet non humanum, & publicum simul non priuatum, & illustre omnino ac certum, non obscurum & imbecille de religione iudicium. Quo posteaquam semel est in Republica constituta & fundata ratio formaq; pietatis, nihil postea peregrinum, nihil nouũ est recipiendum: tenendúmque illud quod beatus Ioannes in epistola præcipit? Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne domo quidem illum exceperitis, nec Aue dixeritis. Et si fixis semel alia de re quacunq; legibus, quæ contra fiunt, puniuntur, multo erit maiore vigilantia prouidendum, ne quid in religionem impunè peccetur. Quis enim alioqui religionum finis? quis in commutando modus? quánam in re alia perturbatio & confusio maior? Atqui hęc vna res est (quoniã *Epist. 2.*

nullum est à Deo munus tributum homini maius quàm religio) in qua consensionem, cõstantiam, grauitatem, modum, ordinẽ, tranquillitatem maximè deceat cõseruari. Ac sicuti nemo bene cultum dixerit hortũ, in quo passim, euellente nemine, spinæ & vepres & noxiæ herbæ succrescunt: ita nemo, nisi mente captus, dixerit eam Rempublicam bene cõstitutam & formatam esse, in qua prohibente nullo varij non modò suboriuntur, verùm etiam incrementa capiunt cum vera pietate pugnantes errores. A quibus proculdubio superari sensim & obrui necesse est religionem veram, quemadmodum ab vrticis & infælici lolio dominante seges optima præfocatur. Quis erit igitur iam bonus princeps ac sapiens reipublicæ moderator, qui bene consultum regno suo fore putet, si in eo plures religiones, pro quorumlibet arbitratu Deum se quàm sincerissimè colere velle fingẽtium, liberas esse & inualescere patiatur? Quòd si duas tréue ex omnibus eligat, quas suppressis cæteris liberas esse velit, primum cur cæterorum qui alias sequuntur, naturali libertati facit iniuriam? quid si illæ potius quas repudiat, à spiritu Dei profectæ sint? Si altera religio potest esse, cur non & tertia? & si tertia, cur non & quarta & quinta? Sic enim gentilitas cum ab vnius Dei maiestate discessisset, in ingentem paulo post deorũ multitudinem distracta est. Quia reuera nulla erat ratio, cur, si præter vnum, alius atque item alius poneretur, non & centum & mille alij constitue-

tuerentur dij. Deinde parum id agit accuratè, vt Deo satisfaciat, eiusq; quoad posit propulset iniurias: quando nec ab vno quidem profectas suas ipsius vel irrisionum vel maledictorum iniurias pati possit. Atqui hoc demũ veræ virtutis munus est, ad proprias quidẽ & priuatas læsiones dissimulare, Dei verò contumelias cum prohibere posis, nunquã perferre. Idcircò Helias propheta, vir indubiè mansuetudine & patientię virtute perfectus, cùm propriæ personę contemptum paruipẽderet, Dei tamen seuerissimè vltus est iniuriam: igne scilicet è cælo deuocato, cum à prophanis hominibus contemptim & sine vlla Dei veneratione, cuius erat prophetes, ad regis nutum descendere iuberetur. Homo Dei (aiebant) hęc dicit rex: descende, festina. Ille verò: Si homo (inquit) Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te ac quinquaginta tuos. Nempe vt exemplo funesti huius exitus vestri, cæteri discant tam viles esse Dei seruos non debere: quorum contemptus in eius cui seruiunt redundat dehonestationem. Eiusdémque prophetæ zelo sublati sunt prophetæ Baal quadringenti quinquaginta, atque ad torrentem Cison interfecti, ne falsa & impia diutius religione, quæ per illos fouebatur, vnius veri Dei producerentur iniuriæ. Porrò principes ij qui ad suæ quidem maiestatis læsæ crimina punienda exertissimum gladium gerunt, aures verò ad multas grauesq; diuinę maiestatis iniurias clausas habent, vel linguas etiam ipsi aut manus ad inferendum promptas: nónne

Li.4.Regum.ca.5.

3.Reg.18.

tibi

tibi videntur hi dignissimi, qui vicissim & in proprij honoris, regniq; periculis à Deo negligantur. Hinc sæpenumero subditorum rebelliones aut finitimorum inuasiones, & eiectiones, vel cædes principum, euersionésque regnorum extiterunt: quia Dei honorem & cultum proprijs posthabuêre commodis atque honoribus. Iratus est (ait scriptura Dominus Salomoni, quod auersa esset mens eius à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundò, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, & non custodiuit quæ mandauit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Suscitauit quoq; Dominus aduersarium Salomoni Adad Idumæum de semine regio, & Razō filium Eliada, &c. Equidem hæc opinor sic esse conscripta, vt expressa lectáque de vno, de multis alijs etiam tacita cogitentur. Idcirco Traianus sub Valente magister militum, aduersus barbaras Gotthorum gentes missus, cum victus confusúsque redijsset, ob eámque rem molliciem ei Valens ac timiditatem obijceret, ille ingenti libertate: Non (inquit) imperator, ego sum victus, sed tu victoriā perdidisti cum Deo resistis, & illius auxilia Barbaris potius facis opportuna. Isaac etiam monachus ea tempestate virtutis nomine clarus, cum egredientem videret ad pugnam Imperatorem: Quò vadis, ait, Imperator, qui pugnas aduersus Deum, quem nō habes adiutorem?

Li.3. Regū, ca.11.

Li.8. tri. tep.13.

rem? Ipse enim contra te Barbaros mouit, quoniam & tu aduersus eum blasphemas linguas plurimas incitasti, & qui ei sacra psallunt, domibus expulisti. Quiesce ergo bellare, & ille faciet bella cessare. Quin & frater, cum ab eo Valens suppetias peteret aduersus vim Barbaricam, rescripsit, religiosum non esse talem virum iuuare, qui Deo rebellis existeret; sed iustum esse magis, vt eius superbia retūderetur. Quid memorem Valentinianum iuniorem? nónne ille, qui acquiescens Iustinæ matris iam Arrianæ monitis, Arrianorum partes adiuuaret, diuoq; Ambrosio infestus esset, fœdam fugam Imperator facere coactus est, Maximo rebelli persequēte? Namque illi post fugam rescribens laudatissimus Theodosius, hanc ob causam negauit esse mirum, si cum Imperatore timiditas, vires verò cum tyranno copularētur. Sed eundem postea ad paternam pietatem reuocatum, imperio Theodosius restituit. Adiungam & aliud quiddam nostris temporibus longe vicinius. Venceslao duodecimo Bohemorum regi nunciabatur crescere indies hæreticos: & conciones ac cœtus frequentes contra auitam religionem haberi: sed his ille neque iniurijs Dei, neque periculis ecclesiæ commouebatur. Patiebatur insolentissimos sectarios cuncta in causa religionis pro sua libidine gerere. Et quanquam subinde multitudine terrebatur, tamen cum exploratum habuisset, se ab illis in concione hoc nomine commendatum, quòd commodus ipsis rex ac perfacilis esset, qui eorum noua

Theodoretus lib. 5. cap. 15.

Vide Aeneam syluiū histo ria Bohemica ca. 35. 36. & 37.

ua in religione ſtudia minime perturbaret: ideoq; nec ad eum è regno deturbandum ſuſcipi conſilia oportere, id quod iam fieri & agitari cœperat, tum ſecurus omnem cogitationem depoſuit de ſumendis armis ad eorũ conatus reprimendos: planeq; (vt ait Aeneas Syluius) ex tepido frigid9 euaſit. At cum pòſt ſignificaretur præualẽtibus hæreticis peti atque interfici magiſtratus, ſubuerti reipublicę ordinem, eius quoque coronæ proximum periculum impendêre: tum demum commoueri & de vindicta cogitare cœpit. Sed eheu ſerò nimium. Mox enim ex ira paralyſi reſolutus eſt, paucisq; pòſt diebus, fruſtrà imploratis cõtra regni ſui hoſtes auxilijs amicorum, è vita exceſsit. Hæretici verò Bohemiam maximis cladibus affecêre. Ita profectò fit, vt cum religio Deusq; negligitur, vna cum religione & regnum, cuius retinendi cura præcipua eſt, amittatur. Idcircò Theodoſium Auguſtum ſic
Epiſt. 25. Leo Pontifex ſuis ex literis cohortatus: Cum eccleſiæ cauſa ſtatum regni veſtri agamus & ſalutis, vt prouinciarum veſtrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcuſſum eccleſiæ ſtatum, vt & veſtrum Chriſti dextera defendatur imperium. Eiuſdem pontificis & illa ſententia eſt, in epiſto-
Epiſt. 31. la ad Pulcheriam Auguſtam: Quoniam res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quę ad diuinam confeſsionem pertinent, & Regia & ſacerdotalis defendat authoritas.

Iuxta

140

Iuxta veterum receptam de Repub. definitionem, nō constare Remp. sine consensu populi in vnā eandemq; veram religionem.

CAPVT II.

EST præterea etiam atque etiam considerandum, cuiusmodi Respublica futura sit, in qua non iustitiæ ratio curáque publicitus habeatur. Nam si Scipionis apud Ciceronem in ijs libris quos de republica scripsit, definitiones recipimus: vt sit Respublica, res populi: populus autem cœtus sit multitudinis, iuris consensu & vtilitatis communione sociatus, efficitur profectò rempublicam non esse, quæ non communi quodam in iustitia consensu & conspiratione teneatur. Idem enim ille Scipio, iuris consensum postea disputando explicauit: ostendens per hoc geri sine iustitia non posse Rempublicam. Vbi ergo vera iustitia non est, nec ius potest esse: quod enim iure fit, id fit iustè: quod autem fit iniustè, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda, iniqua constituta hominum, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit, falsúmque esse quod à quibusdam non rectè sentientibus dici solet: Id esse ius, quod ei qui plus potest vtile est. Quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse: & ideo nec populus, iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionē: Et si non populus, nec res populi, sed qualiscunq; multitudinis, q̄ populi nomine digna nō est. Proinde si respublica, res populi est, & po-

& populus non est, qui non sit iuris consensu sociatus: non est autem ius, vbi iustitia non est: proculdubio conficitur eam non esse rempublicam, in qua non sit consensus quidam in iustitiam conspiratioq; communis. Iustitia porrò ea virtus est quæ sua cuique distribuit, cuiusmodi virtus sine vera religione constare non potest. Quónam enim modo sine vera religione, quæ vnica est, Deo imprimis reddi poterit quod ei debeatur? Nam ne quisquā fortè putaret, homini quidem ab homine multa sæpe, sed Deo nihil vnquam deberi, cauit hoc
Matt. 22. Christus in Euangelio, cùm ait: Reddite quæ Cęsaris sunt Cęsari, & quæ Dei Deo. Atque vt honorem & timorem non ignorares inter debita numerari, dicit Apostolus gentium pla-
Rom. 13. nissimè: Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorē, honorem. Deo igitur ab hominibus debentur timor & honor: imò verò seipsum iure quisque debet Deo conditori ac redemptori suo. Quæ persolui debita, sine vera religione, nullo modo possunt. Hæc enim sola gratum ei defert honoris officium, sola hæc Deo religat hominem atque exhibet, cum falsa subtrahat, subdatq; eundem spiritibus erroris. Vnde apparet eorum perfatuus error, qui in sequendā religione, solius exemplum principis intuentur, tantúmque ad hominem respiciunt: parati videlicet in quacunque religione versari, in qua suum principem repererint, quasi principi religio, & non Deo ipsi debeatur. Id quod generose prorsus

ab

ab Imperatoribus Valentiniano & Gratiano legimus esse reprehensum his verbis: Hanc (inquiunt) trinitatem consubstantialem patris & filij & spiritus sancti, prædicare decreuit nostra quoque potentia: ita tamen,vt nō dicant aliqui: Sequimur religionem Imperatoris hanc patriam gubernantis, & non illi potius obedientes qui nobis salutis mandata contradidit. Euangelium namque Christi nostri sic habet: Reddite quæ sunt Cæsaris Cęsari,& quę sunt Dei Deo. Constat igitur religionem Deo iure deberi,atque hanc primam pręcipuamq́ iustitiæ partem esse, vt ei illa deferatur. Quod si non cadat sub communem & publicum populi consensum,non est ille cœtus multitudinis,iuris consensu sociatus. Nō est igitur Respublica, in qua non sit communis quædam multitudinis cōsensio in vnam eandemq́ veram religionem. Et ad similem fere modum ratiocinatur D. Augustinus in libris de ciuitate Dei, collígens gentilium cœtus sine veri Dei cultu sociatos, iuxta Scipionis & Ciceronis definitionem, non esse Respublicas.

Li.7. tri. hist.ca.9. *Matt. 22. Luca 20. Marci 12.* *Libr. 9. cap. 21.*

Sicut iustitia ratio, sine qua Respublica non est, postulat, vt Deo suus honos vera religione deferatur: ita postulat etiam, vt eius dehonestationes atque iniuriæ quæ fictis & falsis religionibus irrogantur, legibus pœnalibus propulsentur.

CAPVT III.

QVemadmodum autem exposcit ratio iustitiæ, vt suum cuique reddatur, ita pœnam exigit in transgressorem. Quocirca

si per falsam religionem iustitia violatur, & in ea quidem sui parte, quam constat esse primariam: esse debebit illa multo minus à iustis ac seueris animaduersionib⁹ libera, quàm crimina cætera iniustitiæ, quibus homini q̧ eius sit non redditur, siue iniuria quæpiam irrogatur. Quàm enim hoc alioqui præposterum videri necesse est, vt à proximis quidem nostris vel virulentas aliorum linguas, vel violētas manus pœna cohibeamus: in Deum verò nostrum blasphemarū tela linguarum impunè mitti patiamur? Quamobrem Deus ipse sapientissimus Reipublicæ conditor, tēperatorq́ iustissimus, leges tulit pœnales in eos, qui hac in parte iustitiam violassent. Ex quibus quidem legibus non difficile est elicere iustitiæ rationem, qua nostrorum quoq́ temporū iniustitiæ, mala similia, pœnarum æquitate subijciātur. Cùm igitur duce quondam Moyse, quispiam è populo Dominum in iurgio blasphemasset, atque is in vincula propterea coniectus esset, tantisper dum cognosceretur diuinum de reo iudicium, consultus Dominus hanc legem tulit: Homo qui

Leuit. 24. maledixerit Deo suo, portabit peccatū suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Lex iudiciaria est in blasphemum, eaq́ proculdubio iustissima, quia diuina. Cui si qua seueritate consimilis, à principe fortè statuatur in religionis nouatores hæreticos, quid is tum aliud, quàm Dei iudicium

cium legumq́; eius æquitatem imitatur? An fortè blaſphemus nō eſt hæreticus? Non igitur blaſphemus Arrius, qui filio diuinitatem æternitatemq́; detraxit? Non blaſphemus & modis quidem innumeris Manichæus, qui de duobus rerum principijs, dijsque duobus, fabulas illas ſeu potius deliramenta contexuit? Quid? non blaſphemus Caluinus, qui omnipotentiæ derogans, fieri vel à Deo poſſe negat, vt quod in cælo eſt Chriſti corpus, in altari quoque ſimul ad verba efficaciſsima Chriſti ſeruatoris exiſtat? Non Brentius blaſphemus, qui in diuerſum tanquam tempeſtate delatus, quod diuinitatis proprium eſt vbique ſimul eſſe, naturæ in Chriſto humanę adſcribat? Omitto alias aliorum neque paucas, neque leues blaſphemias: ex quibus perſpici clariſsimè poſsit, quāta legum æquitate, & quàm iuſta earundem ſeueritate, mortis ſupplicium blaſphemis hæreticis irrogetur. Præterea Deuteronomij cap. 13. Pſeudopropheta, qui viſis ſomniorum fictis, ad cultum alienorum deorum populum ſolicitet, quamlibet propinquus is ſit vel amicus, occidi iubetur à Domino. Ac ſi quam forſitan vrbem abominandus falſorum deorum cultus inquinaſſet, ſtatim (inquit) percuties habitatores vrbis illius in ore gladij: & delebis eam, omniaq́; quæ in illa ſunt vſq; ad pecora: quicquid etiā ſuppellectilis fuerit congregabis in mediū platearū eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa cōſumas Domino Deo tuo. Nihílne hic eſt quod debeant hæretici

formidare? Et qui magis à cultu veræ religionis populum Christianum abducũt? Fallunt enim incautos reuera suis somnijs, & ab vnius veri Dei vero ac legitimo cultu, ad fictionum opinionumq; suarum idola colenda pertrahunt. Surgunt è medio populi Christiani, & cùm se alijs magistros arrogantissimè præbuerint, ex aliqua eos inspiratione cælesti proferre cuncta, fascinati auditores arbitrantur. Dicere proinde non dubitant: Eamus, sequamurq; deos alienos quos ignoras tu, & seruiemus eis. Vetera iam toties repetita fastidimus: nouas atque inauditas sequamur de religione sententias, & credamus eis. Nam hæreticorũ noua dogmata, quemadmodum rectè Vincentius Lirinensis annotauit, vetus testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consueuit: propterea quod sic ab hæreticis ipsorum dogmata, vt à gentilibus dij proprij, obseruantur. Quis igitur iam de summa æquitate dubitet, si vel sigillatim è medio morte tollantur: vel cum se in vnum collegerint, bello petiti deleantur? Ac ne solos in illa veteri Iudæorum republica idolorum cultores neci traditos fuisse putes, verùm & eos, qui vnius Dei retẽto cultu, alia quapiam ratione in religionem peccarent, hanc quoq;
Deut.18. de his legem accipito: Propheta (inquit summus legislator) qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Hîc sanè isti vtcunq; hæreticos non esse alienorum deorum
culto-

cultores ostendant, vt tamen ea minimè dicere, quæ Dominus haud eis præceperit, videantur, nunquam efficient. Currunt enim non missi, & cum noua esse fides non possit, illi nouam atque inauditam cudere moliuntur. Omnes diuinitus afflatos se loqui profitentur, & pugnantia interim tradunt: atque inter se acerrimè digladiantur, cùm non sit dissensionis Deus, sed pacis. Nullos, per tot annorum centurias, quæ antè ipsorum fluxere ortum, reperiunt, qui eadem per omnia vel crediderint, vel docuerint, vel scripserint: cùm vera Christi ecclesia nullo vnquam tempore ab his mortalium sedibus abesse potuerit. Quanam igitur illos ratione quisquam tueatur, quos modo id facere perspicuũ est, quod Dominus mortis pœna vindicandum esse sanciuit? Sed his & aliam adiungamus legem, ex Deuteronomio quoque repetitam: Cap. 17. Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui in eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malũ de medio Israel. Non hic quisquam ob idololatriam, sed ob superbiam, non quia duci aut principi obtemperare recusauerit, sed quia summi sacerdotis iudicio non acquieuerit, mortis supplicio afficiendus decernitur. Quidnam autẽ esse causæ possit, cur illi quidem meritò interficerentur, qui summi sacerdotis iudicium fuissent aspernati: isti verò nostri, qui primario in terris Ecclesiæ pastori, Christiq; summi sacerdotis vicario, neque obtemperent, neque ob-

temperandum esse & sentiant, & doceant, nulla digni mortis pœna credantur? Neque enim (opinor) quisquam plus honoris Mosaico, quàm Euangelico ministerio deferet; præsertim cum illud vmbras rerum venturarum contineret, hoc rerum exhibitarum claram atque illustrem proponat veritatem: illud seruitutis, ac timoris esset, hoc libertatis sit & amoris: illud mortis, hoc vitæ. Proinde si illius imperium recusasse crimen fuit, profecto huic se noluisse subijcere, posteaquam esset cognitum, grauius multo censeri debebit.

Heb. 10. An non hæc Apostoli collectio est? Irritam quis faciens (inquit) legem Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto deteriora putatis mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Illos autem ipsos designat, de

Ibidem. quibus dixerat antea: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Non sibi hic blandiantur hæretici: Dei filius cum in seipso iam conculcari non posit, in suis sæpè ministris ab illis conculcatur. Nec grauior spiritui gratiæ fieri contumelia potest, quàm si quis ad eam totis viribus oppugnandam, inuidentiæ vel odij facibus agitetur. Sed ne quisquam istiusmodi leges ita proprias illius populi fuisse

putet,

putet, vt in alijs gentibus absurda sit earum futura, similitudine seueritatis, imitatio: meminerit is Regis Nabuchodonosor, intentè audiat quid ille dixerit: A me (inquit) positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcunque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur. Neque enim est alius Deus qui possit ita saluare. Noua tum gentibus & odiosa res erat, vnius veri Dei prædicatio; præsertim cùm is ita tum coleretur à pauculis hominibus, vt cæterorum, quos sibi fingebat stulta gentilitas, veneratio damnaretur. Et tamen ne hic vnus Deus impeteretur blasphemijs, rex ille terribili lege prohibuit. Quid igitur mirandum sit, talem hisce quoque temporibus & inter gentium, sed Christianarum, populos à principe Catholico legem proficisci, qua nō modò blasphemæ hæreticorum linguæ coerceantur, verùm etiam facta sacrilega dignis supplicijs puniantur? Non enim Catholica & Romana religio, quam insectantur odijs implacabilibus, aut noua videri potest, vti tum vnius Dei cultus atque professio, aut probata paucis atq; vsitata: Cùm hanc vnam constet esse, qua non aliam Christianus orbis, continua ad nos vsque serie populorum ab ipsis Apostolorum temporibus decurrentem, nouerit. Cur ergo videatur iniquum, seueritate legum aliquanta, ab iniurijs pseudochristianorum defendi hanc vnam, tanta populorum consensione probatam, tanta ve-

1. Esdr. 6.

tuſtate in ſummam authoritaté adductam, tam frequenti aduerſariorum oppugnatione roboratam? Et Auguſtinus quidé ipſe, cuius iſti nobis ſentétiolas quaſdam obiiciunt, non dubitauit factum illud regis Nabuchodonoſor, adumbrationem quandam ac typum habuiſſe dicere rerum earum, quæ multò pòſt in Eccleſia gererentur: hoc eſt, diſciplinæ & ſeueritatis huius, quę per fideles ac pios reges exerceretur aduerſus impios & ſacrilegos deprauatores dogmatis Chriſtiani. Non dubitauit idem ipſe colligere: Si decreuerit ille rex ne blaſphemaretur Deus téperator ignium, & liberator trium puerorum, multo magis cogitare debere Chriſtianos reges, quid decernere debeant in regno ſuo, ne in ſuis fidelibus idem ipſe Deus exufflerur condonator peccatorum, & liberator iam totius orbis terrarũ. Tale igitur ille tantæ ſeueritatis exemplum, ad imitationem, voluit Chriſtianorum principum animis obuerſari. Ac durum id quidem fatetur eſſe diſperdere miſeros, vaſtareque eorum domos, quod Regia illa comminabatur lex, ſed ſi aliter pacem habere non meruit domus Dauid, niſi Abſalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuiſſet extinctus, nihil ſupereſſe dicit, niſi vt eccleſię, quæ domus eſt Chriſti, tales inimicos, qualis fuit ille Dauidis patris ſui, obſtinatione ſua perdédos lugeamus, & regni Chriſtiani tranquillitate parta fideiq; integritate, quoad fieri poteſt, conſeruata, mœſtitiam noſtram conſolemur. Prætereundum modò non arbitror

Epiſt.48.

Lib.2.contra literas Petiliani cap 92.

legem

legem ab Artaxerxe rege latam in eos, qui Dei regisq́; decretis minimè paruissent. Omnis (inquit Esdram sacerdotem alloquens) qui non fecerit legem Dei tui & legem regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in cōdemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem. Quæ quidem lex cum cæteris, quæ ab eodem rege constituta erant, vsque adeò probata Esdræ sacerdoti fuit, vt lætus in hanc vocem erumperet: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domū Domini quæ est in Hierusalem. Quòd si tum ij qui legem Dei non implessent iusta morte plecterentur, quid passuros eos fuisse censes, qui impleri impossibile aut non necesse esse docuissent? At quid nunc ab his agitur? An non vt ijs assentiamur diuinam legem obseruatu impossibilem? vt fieri multa non debere credamus, quæ fieri oportere, & Christi verbo, & Apostolica traditione accepimus? Imò verò non dubitant, cum os perfricuerunt, & docere, & scribere, nihil præceptum in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita. Item præcepta decem nihil pertinere ad Christianos. Rursum hominē iustificatum & perfectum non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantummodo ad credendum. Item Christum esse datum hominibus vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatorem cui obediant. Quæ cum per seipsa statim absurda sint, iustiusq́; os talia profe-

1. Edr. 7.

Ibidem.

rentis tunderetur fustibus, quàm rationibus occluderetur, nemo non intelligit, penes quē aliquid residet mentis integræ, quantum pro gloria domus Dei, quæ est in Hierusalem, id est, pro Ecclesia, cuius illa typum gessit, princeps Catholicus facturus sit, si istiusmodi rabulis de sanctissimis Dei & Ecclesiæ legibus quicquid in buccam venerit, temerè & impudenter effutiētibus iustissimæ seueritatis suæ metum incusserit. Ac de iustitia quidem hactenus, sine qua nec vera respublica est, & qualiscunque demum sit, stabili firmitate subnixa esse non potest.

In vnica religione Catholica concordiæ pacisq; publicæ vinculum præcipuè consistere, eoq; soluto grauissimè perturbari.

CAPVT IIII.

Lib. 4. de dictis & factis Socratis.

IAM & de concordia, pace & amicitia videndum est, sine qua rempublicam diu stare non posse, quiuis intelligit. Quam concordiam Socrates, vt est apud Xenophontem, primarium esse reipublicæ dixit bonum: vsqueadeò vt Græciæ vrbes non aliud iusiurandum à ciuibus exigerent, quàm de concordia conseruanda. Hæc autem nec sine consensu in religione cohærere potest, nec peregrina introducta, permanere. Non enim leue paruiúe momenti videri solet hominibus religionis negotium: sed grauissimum ac præcipuum quiddam, cuius ante omnia cura se putent commoueri oportere. Loquor de hominibus non atheis; qui vt Deum esse concipiunt aliquem, quo ne fingi quidem maius quidquam

possit,

posſit,ita ſummum quendam ei cultum non dubitant eſſe deferēdum.Iam quid parere ſoleat diſsimilitudo atque diſcordia,in ea re potiſsimum,in qua quid teneatur multum putetur intereſſe,quotidiana propemodum noſtris oculis exempla ſubijciunt. De finibus agrorum,de iure poſsidendi, ſi non vna fuit ſententia, quantas ea res ſæpe turbas dedit? Quid vel ſola diſsimilitudo linguarum? quā vehementer animos diſſociat? quantum ſæpe adducit auerſionis vnius ab alio? Nam ſi qui duo ſimul eſſe aliqua fortè neceſsitate cogantur,quorum neuter alterius calleat linguam facilius inter ſe brutæ animātes etiam diuerſi generis,quàm illi cum ſint homines, ambo ſociantur.Quid? quod & de lana,vt aiunt,caprina grauiſsimę interdum corrixationes inardeſcunt? vt illa inter Arcades & AEtholos de aprina ceruice, quæ mutuis penè cladibus vtroſque perdidit:Multo vt magis neceſſe eſſe videatur,alienari alios ab alijs diuerſitate atque aduerſitate religionum. Quæ vna diuerſitas maximi inter homines momenti videri ſolet,propter eam quæ de præſtantia habetur ac neceſsitate veræ religionis, opinionem.Quemadmodum igitur vbi vnus eſt Deus,Dominúſque communis, nihil obeſt mutuis amoribus locorum diſtantia : ita ſi alius atque alius eſt Deus,aut eius non vna religio, nihil ad concordiam vicinitas ſimilitudoq́; locorum,nihil eadem mœnia,nihil menſa lectúſue cōmunis profuerint. Diſsidetur enim ea in re,quæ maximá habet vim ad humanæ

Horatius li. 1. epiſt. Alter rixatur de lana ſæpe caprina.

ſocietatis diremptionem. An tu (ait Cicero) *Lib.* 3. *in Verrem, act.* 4. maiores vllas inimicitias putas eſſe, quàm cõtrarias hominum ſententias ac diſsimilitudines ſtudiorum & voluntatum? Vbi autẽ grauior eſſe poteſt ſententiarum contrarietas, quàm in re omnium maxima, hoc eſt, in religione? Quæ ſtudiorum diſsimilitudo maior, quàm ea quę in ipſa fide eſt ſtudiorum bonorum ac morum fundamento? *Cap.* 13. Omnis caro (inquit Sapiens Eccleſiaſticus) ad ſimilem ſibi cõiungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Sic communicabit lupus agno aliquãdo, ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancto homini cum cane? Aduerſi enim qui eos poſſident ac velut animant ſpiritus, vnà viuere non ſinunt. Nec fieri poteſt, vt is qui amat errorem, non idem oderit veritatem. Ex odio verò, cum nihil obſtiterit, naſcitur eius extinguendæ libido. Quod quia fieri nequit, niſi ijs oppreſsis vel fugatis, à quibus veritas aſſeritur: ad hos protinus è medio tollendos voluntas omnis conatuſq; conuerti ſolet. Documento ſunt Arianæ factiones aduerſus Catholicos, quorum nullis Imperatorum decretis potuere perſequutiones inhiberi. Hoc enim in quadam epiſtola queruntur Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus, de Arianorum rabioſiſsimis furoribus. Sed nec tum orthodoxos cum illis ſocietate & amicitia iungi potuiſſe, omninoq; eorum potius conſortia refugiſſe ac deteſtatos fuiſſe, ex illorum temporum hiſtoria cognoſcitur. Vnũ eius rei memorat indicium Theodoretus de

Catho-

Catholicis adolescentibus, qui cum sphęræ *Lib.7. tri* lusu sese oblectarent in platea, ac forte Lucio *Par.ca.16* Arianorum Episcopo transeunte, sphæra decidens per asini, quo ille vectabatur, pedes, voluta fuisset: illi sphæram pollutam arbitrati, mœrorem eiulatu monstrarunt: cōtinuóque pòst accenso igne illam per hunc traductam, expiatam eo mòdo fore crediderunt. Puerile hoc quidem erat, antiquæ purgandi consuetudinis reliquias præ se ferens. Veruntamen indicio fuit, quantopere vesaniam Arianam ciuitas odisset vniuersa. Illi igitur quoniam erant impij, veritatis odium in personas transferebant. Hi verò cum personis benè esse cuperent, earum impietatem execrabantur. Est enim quod in prouerbijs Sapiens dicit, verissimum: Abominantur iusti virum *Prou.29.* impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via. Atque vti alteros vtrique abominantur, ita & cum facultas adest, persequuntur. Sed hoc plurimum interest inter Christi Ecclesiam & Sathanæ synagogam, quod illa diligendo persequitur, ista sæuiendo: illa vt corrigat, ista vt euertat: illa vt reuocet ab errore, ista vt præcipitet in errorem. Si enim vituperanda esset omnis persequutio, non laudabiliter à Propheta diceretur: Detrahentem *Psal.100.* secretò proximo suo, hunc persequebar. Cernimus etiam quotidie & filium de patre, tanquam de suo persequutore conqueri, & coniugem de marito, & seruum de domino, & de possessore colonum, & reum de iudice, & militem vel prouincialem de duce vel rege: cum

illi

illi plerunque ordinatissima potestate subditos sibi homines per terrorem leuiorum pœnarum à grauioribus malis prohibeant atq; compescant: tametsi ijdem aliquando à bona vita & bene factis minando & sæuiendo deterreant. Sed cum à malo & illicito prohibēt, correctores & consultores sunt: cum autem à bono & licito, persequutores tātum sunt atque oppressores. Accusantur interdum tamē & ij qui prohibent à malo, si modum peccati modus coercionis excedat: aut si turbidè atq; inordinatè in eos coercendos insiliunt, qui nulla sibi lege subiecti sunt. Sed quæcunque tandem sit vel persequendi causa, vel persequutionis modus: certè vel ob hoc quod alij alios abominantur, iuxta scripturæ certissimam veritatem, non potest inter eos concordia esse vera atque durabilis. Omninoq; duas religiones diuersas, quoniam easdem inter se inimicas esse necesse est, in eadem velle republica coniungere: nihil aliud esse videtur, quā id operam dare, vt aliquando lupus & agnus, aqua & ignis, veritas & falsitas, pietas & impietas, positis inimicitijs tanquam inito fœdere, vnà cohabitent, eandemq; in familiam coalescant. Quod vt fieri nullo modo potest, ita ij qui duas inter se pugnantes religiones confœderare nituntur, frustra sibi pacem & concordiam in sua republica promittunt: nisi fortè iam langueat aut frigeat potius ex vtraque parte studium religionis. Ad rationem autem amicitiæ quod attinet, nō est negligēdum quemadmodum ea sit à veteribus defi-

Vide Au. ca. 17 lib. de Vnita. ecclesiæ

definita. Est enim nihil aliud (inquit Lęlius apud Ciceronem) nisi omnium diuinarum humanarumq́ꝫ rerum cum beneuolentia & charitate summa consensio. Et hic quidem amicitiæ gradus esse videtur maximus, atq́ꝫ, vt opinor, in hac mortali vita perrarus: cũ summa scilicet rerum omnium cōsensione, duorum vel plurium animi coniunguntur. Namq́ꝫ minutioribus & leuioribus quibusdam in reb⁹, frequens etiam inter veros amicos intercurrit dissensio. Accedit interdum & in magnis rebus, salua & incolumi amicitia Christiana, controuersia quædam: cum nondum satis est (vt fit mota iamprimum quæstione) certa perspicuaq́ꝫ definitio veritatis. Qua quidem in re diui Cypriani & Stephani Pontificis illustre tenemus exemplum: cum de his ageretur rebaptisandis, qui fuissent ab hæreticis & schismaticis baptizati. Veruntamen amicitiæ proposita definitio, primo in loco rerum diuinarum consensionem requirit: quæ tametsi perfecta hic esse ægrè possit, propter huius seculi noctem, in qua non ad plenam lucem, sed tãquam ad lucernulam ambulamus: tamen eatenus certe necessaria est, vt eadem religione animi consocientur. Quocirca qui diuersas se qui se religiones profitentur, amici esse non possunt. Quid? quod etiam id displicet Deo, si quisquam cum inimicis veræ religionis amicitias iungere conetur. Sic enim dictum est Regi Iosaphat per Iehu filium Hanani Prophetam: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia coniungeris:

De amicitia si quis plura huc trãsferre et ad institutũ accõmodare velit, legat Aristotelis li. 8. & 9. Ethic.

Li. 2. Paral. c. 19.

ris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te. In eodē rege hoc quoque postea reprehenditur, quod inierit amicitias cum Ochosia rege Israhel, cuius opera fuerant impijssima. Cumque particeps fuisset, quemadmodum scriptum est, vt faceret cum eo naues quæ irent in Tharsis, percussit Dominus opera eius, contritæque naues sunt, eo quod fœdere se cum Ochosia coniunxisset. Quod si nec constet inter eiusmodi homines in re omnium maxima dissidentes amicitiæ ratio, nec inita qualiscunque probetur, fieri non posse videtur, vt inter eos vna consistere Respublica possit: vtraque præsertim ex parte agendi libertate permissa. Idcirco, quemadmodum est à Plutarcho scriptum, si quibusdam memoriæ collustremus oculis veteres nouasq; respublicas, reperiemus quidem aliquas regibus, alias legibus, alias mœnibus aut etiā domibus carere potuisse: at nulla reperietur, quæ non certam principio religionē, & Dei vel deorum cōmunem aliquem cultum, & sacra publica susceperit. Satis vt appareat, primarium hoc esse vinculum amicitiæ, præcipuumq; ac primum ciuilis inter homines societatis fundamētum, si vna inter se religione sacrorumq; similitudine colligentur. Vbi aūt de dijs ipsis interuenêre dissidia, grauissima quandoque inter ciuitates bella consequuta memorantur. Vidit sanè Ieroboam rex Israel, quantum esset in vna religione momenti ad animos hominum in eandem rempublicam idemq; regnum

Li. 2. Paral. c. 20.

Vide contra gentiles Athanasium.

gnum conglutinandos;& quantum è diuerso valeret ad disiungẽdos religionis diuersitas. Veritus enim ille in ipsis regni sui primordijs, ne qua fieret aliquando propter religionis vnius vinculum conciliatio tribuum diuisarum, eiusmodi legitur animo consilium concepisse: dixit (ait scriptura) Ieroboam in corde suo, Nunc reuertetur regnũ ad domum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia, in domo Domini in Ierusalem, & cõuertetur cor populi huius ad dominũ suum Roboam regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem. Ecce dij tui Israhel, qui te eduxerunt de terra Aegypti, posuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum est verbum hoc in peccatum.

Lib. 3 regum c. 12.

Diuersitate religionum non solum Rempublicam inter ciues, sed & familiam inter domesticos perturbari.

CAPVT V.

DE Reipublicæ tranquillitate & pace inter ciues diximus: quid de familia quaque sperandum est religionum varietate permissa? Nihil verò hic aliud expectare debemus, quàm corrixationes, contentiones, ac iurgia, ex mira discrepantia morum factorumq;. Nempe vxor Catholica diebus Veneris carnibus abstinere velit, pisces parabit sibi; maritus aut idẽ cogetur edere, cum erit aliud nihil parati, aut certè offensus aliò discedere compelletur. Rursum cupiat vxor, iu-

xta præceptum Apostoli, noctis vnius à thoro ferias, vt vacare orationi posit instante solenni festo: ille verò hoc, vt muliebrem superstitionem, festorum dierum contemptu derideat. Illa ieiunãdum sibi putet ex præcepto Ecclesiæ matris: hic contra ad ingluuiem cogat stimulis cupiditatis incitatus. Illa sanctorum imaginibus, propter eorum quos repræsentent amorem ac venerationem, delectetur: hic detestetur vt cultum idolorũ. Idcirco enim Theophilus Constantinopolitanus imperator Iconoclasta, cũ ex fatuo quodam vxorem suam Theodoram imagines habere suspicatus esset, in eam est vehementer inuectus: sed iracundiæ flammam prudens mulier tẽperauit; pupas enim pulchras, quas se vidisse apud dominam fatuus dixerat, in speculò fuisse persuasit collucentes intuentium effigies. Clothildis filia Clodouei, fratribus id agentibus, nupserat Almarico VVisigottorum regi: sed cum hic esset Arrianus, illa in Catholica religione educata, nullus esse potuit mutuus amor, pax nulla. Detestante quippe marito aduersam suæ impietati religionem vxoris, & in eam ipse sæuiebat, & subditis quoque suis faciebat eam affligendi potestatem: non ob aliud, quàm quia viri sui nollet religionem amplecti. Hæc igitur sic oppressa iniquissimi viri iugo, ad amicos Galliç reges confugit, plena querimoniarum. Quibus illi commoti, mox expeditis ad bellum armis, Almarici regnum vnà cum perditissima religione subuerterunt. Eudoxia neptis

Apud Zonaram.

Procopius belli Gottici lib. 1. Aemilius in Childeberto.

ptis Theodoſij, ſedecim annos in Aphrica cū Honorico viro ſuo iam peregerat. Hāc enim ille, Romam ab ea vocatus in auxilium, ſecum ſpoliata Roma duxerat in Aphricam: ſed quoniam Arianus ille, hæc Catholica erat, fecit religionum aduerſitas, vt huic eſſet cum illo amara cohabitatio. Itaque exitu ſemel reperto, fuga elapſa eſt, ſeq́; Hieroſolymam contulit, nec multò pòſt diem clauſit extremum. *Nicephor.* Et quis exempla omnia, quæ huc faciunt, breui poſsit oratione complecti? Satis ſit hoc loco perſpicere, certam hāc eſſe diſcordiæ in familia cauſam, ſi coniunx coniugi ſtudio religionis aduerſetur. Quónam enim animo virum cenſemus laturum eſſe, ſi multis in rebus nō obtemperans mulier, religionis ſe ſuæ prætextu muniat, aſſerátque etiam fieri ſic oportere? Quid? quod noua huius ætatis religio ita eſt ad diuortium facilis, vt etiam poteſtatem faciat diſcedēti aliud inire coniugium? Qua ex re quantum naſcatur diſſolutionum turbarumq́; in familijs aliquot, diuerſis locis exempla declararunt. Recordamini (inquit Optatus lib.3.) quomodo à vobis iam dudum matris Eccleſiæ membra ab inuicem diſtracta ſunt: non enim vnamquamque domū ſtatim ſeducere potuiſtis; ſed aut iuit vxor & reſedit maritus; aut parētes ſeducti ſunt, & filij ſequi noluerunt; aut ſtetit frater, ſorore migrante: perſuaſionibus veſtris diuiſa ſunt corpora & nomina pietatis. Et nō potuiſtis prætermittere quod legitimum eſt. Vtiq; dixiſtis: Pax vobiſcum; cū Deus contra:

Pax? & vbi pax? Quod est dicere: Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminasti? Pacem igitur exterminat subintroducta noua religio: quam si in familijs esse non sinit, nec igitur in Rep. esse patietur.

Ad perturbandam euertendamq; Rempublicam nihil valere magis, quàm noua & commentitia religionis introductionem.

CAPVT VI.

VEhementer autem hoc ad ciendas discordias, ideóque ad respublicas perturbandas euertendasq; facit, si vna multis iam seculis religione suscepta, seruata, comprobata, noua quæpiam subintroducatur, & ea quidem prioris æmula, eidemq; ex professo aduersatrix. Nã quæ res familiã vnã, eadem, cũ in maioribus paulo rebus acciderit, rempublicam etiam ipsam euertere solet. Nihil verò ad familiam perturbandã euertendamque vehementius, quàm si præter legitimam coniugem concubina aduocetur, eaq; pari in honore & libertate authoritateq; habeatur. Neq; enim conquiescere potest maritalis ille zelus, & studio huic vel illi placendi familia distrahitur, colliditurq; dissidijs. Quapropter inter antiquas Numæ Pompilij leges, reperitur inhibitus concubinis templi Iunonis ingressus: ad significandas offensiones matronarum (quarũ esse illa peculiariter dea putabatur) si quando fuissent à maritis parem in honoris locum concubinæ receptæ. Quis iam nesciat religionem Catholicam Romanam, per tot annorũ centurias tam multis ab gen-

tibus

tibus obseruatam, tot à regibus susceptam atque defensam, tam innumerabilium sanctorum & literis, & confessionibus, & sanguine ipso illustratam, tot miraculis roboratam, toties tam grauiter oppugnatam, & semper tamen inuictam? Hanc igitur quis dubitet veræ legitimæq; coniugis loco solam quasi Reipub. brachijs quibusdam amplexandam esse? Huius proinde si cum offensione grauissima, maximaq; iniuria alia huic repugnans, noua, prius incognita, lasciua & insolēs, velut concubina suscipiatur & colatur, nihil profectò mirum videri debet. An nō & gentilibus hoc curæ maximopere fuit, ne qua deorum nouorum religio subintroduceretur? Nónne inter primas Romuli leges hæc vna est; Deos peregrinos ne colunto? Numa quoq; ipse, studiosissimus religionis sacrorumq; moderator, constitutis pontificibus cauit, ne quid in illam inueheretur noui. Horum enim pontificum scitis publica priuataq; sacra subiecit, vt esset quò cōsultum plebs veniret, ne quid diuini Iuris, negligendo patrios ritus, peregrinósque asciscendo, turbaretur. Augustus ipse quoque, cum iam solus imperio potiretur, atque de republica instauranda & erigenda cum amicis consultaret, hoc imprimis consilium à Mœcenate celebri senatore accepit, ne qua in re pateretur religionis statum innouari: propterea, quod ea res opportunissimum ad turbas ac tumultus aditum præbere videretur. Dixeris hanc olim Symmachi atq; gentilitatis ipsius veterem fuisse querelam, quod

antiquissima religione deorum improbata, noua prorsus & inaudita sub Christi, eiusdemq́ crucifixi nomine, in orbem terrarum inueheretur. Hinc cum Theodosius Senatui religionem Christianam amplecti suaderet, negarũt se facere posse, vt maiorum suorum instituta & tradita, nouitijs Christianorum inuentis postponerent: cũ præsertim illorum custodia, vrbem incolumem prope mille ducentis annis conseruasset. Nec verò turbæ defuerunt ex ea re natæ, quas Christus ipse prędixerat eiusmodi verbis: Non veni mittere
Matth.10. pacem, sed gladium. Præuidebat enim quantum esset confusionis, quantumq́ dissidiorũ ac bellorum in orbe futurum, cùm noua à quibusdam religione suscepta, alij in eodem regno, in eadem ciuitate, in eadem denique familia acerrimè repugnarent, grauissimis aduersus veritatem odijs inflammati. Et certa quidem sunt hæc. Quæ cõsiderata hoc fructus afferunt, ne quam religionẽ ob id solum damnandam repudiandamq́ putemus, quòd vulgo prius incognita sit, quodq́ ea proposita & suscepta, Reipub. perturbatio consequatur. Ipsa prorsus inspiciatur oportet religio cuiusmodi sit, dignáne quæ retineatur, vti est à maioribus longa iam serie populorum tradita, an verò talis, quæ retineri citra impietatis crimen haud possit. Ac gentilem quidem religionem plenam impiæ superstitionis fuisse, non est Christianus qui dubitet: proinde, si potuit exturbari ex orbe terrarũ, in quo dominatum obtinuerat (sicuti proculdu-

culdubio exturbari diuina virtute potuit)id agendum fuit omni ratione: atque in eo exequendo diuinæ maximè dispositioni parendum, quantumcunque ex ea re populi omnes nationesque mouerentur. Vbi tamen dignum est animaduersione, beatos apostolos, virosque Apostolicos, qui nouam hanc religionem in orbem inferebant, eiusque vbi poterant fundamenta iaciebant, nunquam propterea reipu. ordines turbauisse, nunquam de magistratu, nunquã de præfectis principibusque deijciendis cogitauisse: etiamsi & diuina virtute instructi maiora possent, & subinde ob discipulorũ multitudinem facultas humanitus suppeteret. Quin potius obedientiam in ijs quæ non essent cum diuina lege pugnantia, & ipsi deferebant gentilibus præfectis, & deferẽdam esse studiosissimè commendabant. Nunc Catholicam Romanam religionem contemplemur. Erítne quisquã aut adeò cæcus, aut impudens, vt hanc non dubitet cum gentilium impietate comparare? vllámne aliam illi qui huic aduersantur, demonstrare poterunt ab Hierusalem (sicuti prædictum erat) ad omnes sensim terrarũ prouincias & nationes penetrasse? Et quoniam vera ibi religio est, vbi sint Ecclesiæ Catholicæ, aliásne vspiam designabunt Christi Catholicas Ecclesias, quàm eas, quæ Petri successori, Romano Pontifici, paruerint? In aliáne ecclesia quàm Romana beati Martyres suum sanguinem fuderunt? in alia doctissimi scriptores enituerunt, quorum & modo litteris vnà nobiscum fruuntur, si

non dedignantur? Nónne hæc denique sola ab Apostolica sede, quemadmodũ ait Diuus Augustinus, per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim cõciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmẽ authoritatis obtinuit? Si nòn hæc fuit Ecclesia Christi, dicant quibus in terris, qui cœtus, qui populi vsque ad hanc ætatem constituerint Ecclesiam, qui pastores, qui doctores eam instruxerint, quid scripserint, quæ miracula ediderint. Denique ostendant quænam alia sub Christi nomine, per tam multos annos religio, in orbe terrarum vna eademque permanens creuerit, floruerit, cuncta occuparit, quàm hæc Catholica Romana. Si aliam non reperiunt, sola hæc igitur vera & Christiana religio est, aut certè vera religione vsque ad hæc tempora caruit mundus & Christus. Rectissimè Diuus Augustinus ait, neque in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærendam esse religionem: sed apud eos solos, qui Christiani Catholici vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, rectaq; sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem validè lateq; diffusa, omnibus errantibus vtitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus ad materiam operationis suæ; hæreticis, ad probationem doctrinæ suæ: schisma-

Lib. de Vtilitate credendi cap. 17.

Lib. de Vera religione c. 5. & 6.

ſchiſmaticis,ad documẽtum ſtabilitatis ſuæ: Iudæis, ad comparationem pulchritudinis ſuæ.Cõtra hanc igitur religionem in ſola Catholica Eccleſia conſtitutam,velle nouam eique repugnantem introducere, poteſtne cuiquam bono & graui conſtantíque Chriſtiano tolerabile videri?Non hic meritò ſacerdotes clerúſque totus,cuius verſantur in ea religione exercenda præcipuæ functiones : non pij reges ac principes,qui ſua intereſſe putāt, quánam Deus religiõe ſuis in regnis colatur: non populorum fidelium Chriſtiana ſimplicitas,qui in hac religione cum ſpe futuræ ſalutis,ſuos imitati maiores,acquieſcunt: non hi(inquam)omnes iure offenderentur ad nouę cuiuſpiā & aduerſę religionis ingreſſum, & eius præſertim, quæ non modò non afferat meliora,verùm etiam euerſis iuſtitiæ fundamentis ad omnem nequitiam portas patefaciat?Socratem,cum eſſet ab inimicis accuſatus,nulla res magis iudicium mortis ſubire coegit,quàm quod nouam religionem moliri atque inuehere, receptamque damnare diceretur. Cumque & Xenophon & Plato cauſam illius agunt, nulla magis in parte totius accuſationis, quàm in hac quæ religionem ſpectabat,laborarunt. Iſocrates quoque celebris inter Græcos orator, ſcribens de inſtitutione principis, hunc ſedulò ne maiorum religionem & ſacra mutet,adhortatur: ob eas videlicet rerum humanarum inuerſiones,quæ ſoleant cum illa eſſe mutatione coniunctæ,Ergo illi cum eſſent gentiles, traditæ

ſibi religionis, quanquam reuera prophanæ & impiæ, nullóque vel authoritatis, vel rationis ſubnixæ fundamento, ſummam ſemper habuêre rationem: & non multo Chriſtiani ferent iniquius, ſacris ſuis inſidias ſtrui, nouáque ſtudia ſuſcipi cõtra eá religionem, quam ab ipſius ore Dei ſciant eſſe profectam? cuiuſque adeo veritatem exploratam habent, vt ſi vel angelus Dei deſcendat de cælo, & aliud q̃ traditũ ſit, annunciet, anathemate debeat abire perculſus? Idcirco laudatiſsimus ille princeps Theodoſius, morte propinquante, filios ſuos præcipua cura hortatus legitur, vt pietatem perfectam cuſtodirent. Hac enim (inquit) & pax conſeruatur, & bella conficiuntur, & hoſtes dantur in fugam, & trophæa excitantur, & conciliatur victoria.

Galat.1.

Theo. lib. 5. cap. 25.

Obedientiam quæ ſuperioribus in Republica debetur, maximè ſolui nouæ religionis, præſertim vt nunc eſt eius nouitas, introductione.

CAPVT VII.

EST & de obedientia dicendum aliquid, ſine qua qui Rempub. conſiſtere poſſe putat, haud ſecus facit, atque ſi ædificium quiſpiam altum ſine fundamento, vim vẽtorum aut fluminum poſſe perferre arbitretur. Eſt enim hoc conſtituendum in republica primum, vt nec deſint qui multitudinem per ſe inconditam & confuſam moderentur, & vt illis fideli minimeq́ fucata obedientia pareatur. Quàm porrò ſit ad obediẽdum parata noua religio ſeu hęreſis, id non ægrè cognoſcit, qui norit eius matrem: quæ proculdubio ſuperbia

perbia est; Superbiæ verò progenies, est omnium quidem iudicio, q sanum sapiunt, Inobedientia. Ac reuera hæretici & schismatici, vti superbi sunt, ita inobedientes & immorigeri solēt esse. Id quod imperatores Valentinian', Valens & Gratianus de Arianis certè declararunt epistola ea quā ad Episcopos Asię, Phrygiæ, Carophrygię & Pacatianę conscripserūt. *Lib. 7. de trip. hist. cap. 9.* In qua orthodoxorum quidem Episcoporū hæc expressa laudatio est; Tributa secundùm leges inferre non respuunt, potestatiq; regiæ non resistunt, sed sincera voluntate & superni mandata Dei custodiunt, & nostris legibus subiugantur. Quid verò, qualésve erga suos principes Episcopi Ariani? Vos verò, inquiūt illi, inobedientes esse monstramini, &c. Adiū gā & Donatistarum exemplum priusquā ad nostros veniam. Illorū princeps & antesignanus fuit Donatus: ad quem cum venissent qui Constantis Imperatoris eleemosynas muneráque perferrent distribuenda per singulas ecclesias: ille (teste Optato Mileuitano) solito furore succensus, in hæc verba prorupit: Quid est Imperatori cum Ecclesia? & de fonte (inquit) leuitatis suæ, multa maledicta profudit: non minus quàm in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere ausus est: Gregori macula senatus, & dedecus præfectorum. Iam tunc meditabatur (ait Optatus) cōtra pręcepta Apostoli Pauli, potestatibus & regibus iniuriam facere: pro quibus, si Apostolū audiret, quotidie rogare debuerat. Hic ille Donat' est, cuius de superbia, quæ illū inobedientiæ spiri-

ſpiritum, ceu mater filium, procreauerat, ſcri-
Lib. 2. pta ſunt hæc apud eundem Optatum: Extulit (inquit) ſic cor ſuum, vt nullum hominem ſibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis ſuæ altior ſibi viſus eſt eſſe: quia quicquid eſt ſupra homines, iam quaſi Deus eſt. Et cum per ſolum Deum ſoleant homines iurare, paſſus eſt homines ſic per ſe iurare, tanquã per Deum. In quo ſi vnuſquiſque hominum errauerat, ipſe prohibere debuerat: cum non prohibuit, Deus ſibi viſus eſt. Deinde cum ante ipſius ſuperbiam, omnes qui in Chriſto crediderant, Chriſtiani vocarentur: auſus eſt populum cum Deo diuidere, vt qui illum ſequuti ſunt, iam non Chriſtiani, ſed Donatiſtæ vocarentur. Et ſi quãdo ad eum aliqui ex Aphricana prouincia veniebant, non quærebat illud, quod humana ſemper exigit conſuetudo, de pluuijs, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare: Sed ilico ad ſingulos quoſque venientes hæc erant verba; Quid apud vos agitur de parte mea? Quaſi iam verè populum cum Deo diuiſerat, vt intrepidè ſuam diceret partem. Hæc Optatus de ſuperbia Donati, vnde ſunt nuncupati Donatiſtæ, qui eius à partibus contra Eccleſiam vbique diffuſam conſtiterunt. Quando igitur ad obediendi humilitatem depoſuiſſet animum is, quem tantus, támque intolerabilis arrogantiæ ſpiritus poſsideret? Atqui hic vnus ſpiritus omnes religionis nouatores exagitat, redditque impatientes obedientiæ. Demittunt illi quidem ſeſe ad tempus, & ad eum ſæpe modum,

vt ni-

vt nihil dixeris humilitate ſubmiſsius, nihil promptius ad obediendum: ſed mera eſt impoſtura, & obediētiæ fucus, nō veritas. Quod tum demū intelligitur, cum ad iuſtū aliquem numerum eorū multitudo peruenerit. Teſtis & Eraſmus ipſe in quadam epiſtola, ſui tēporis ſectarios tā inſolenti fuiſſe inobediētia, vt etiā apertè dicere nō vererentur, malle ſe Turcæ nō baptizato, quā Turcę baptizato parêre: hoc nomine Carolum Quintum Imperatorem ſuum optimum appellantes. Hoccine ergo Apoſtolicum & Chriſtianum ſpiritum redolet? Siccine impletur quod Apoſtolus ait: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit? At obedire (inquis) cernimus quotidie multos, quos etiam audimus parendum eſſe profiteri, ſed ſi cordata illa, & fidelis ſyncéráque obedientia deſideretur, quaſi labaſcere vrbis muros & tecta putat, breuíque ruinam pertimeſcit, quiſquis coniectura ſagaci ex præteritis atque præſentibus futura metitur. Nempe cum illud obtinet, quod hodie quidam nouę religionis aut potius relaxationis authores, mitiſsimè creduntur dicere; ſeruandas eſſe tibi principum leges, ſed ne ab ijs duntaxat deprehenſus ſupplicijs afficiare, & conſcientiæ quoque habendam eſſe rationě, ſed alienæ, non tuæ. Hoc enim ſtatuunt, legibus principum ciuilíſque magiſtratus conſcientias ſubditorum non obſtringi, neque ijs violandis offenſionem irámque Dei, ſed hominis tantummodo pertimeſcendam eſſe. Quænā obſecro in hac obedientia, reipub. *Rom. 13.*

firmitas

firmitas est, quam humanus non Dei metus extorquet? quæ ad oculum intuentis obsequi tur? quæ se tristis & inuita submittit, non læta & alacris obsecundat? Nónne hæc simulatque sperabit fore clam, leges trāsgressura est? Nónne amoto metu, potestatem aliquando secularem pessundabit? Itaque hominum farinæ huius, posteaquam numerus increuerit, celeriter fictæ obedientiæ larua deponitur: neque tamen excitandis aduersus principes rebellionibus, totaq; in republica turbulentissimis motibus, in Deum peccari putatur. Hinc cum præcesserint sectarū nomina, paulo post seditiosorum vocabula & signa sequuntur: horumq; ex illis numerus cōficitur maximus.

Rom. 13. Atqui D. Apostolus ait disertis verbis: Qui potestati resistunt, eos diuinæ ordinationi resistere. Quo loco sine dubio potestatē pro superiore posuit authoritate, quæ præcipiēdi ius habet, cuiq; sit obtemperare laudabile. Nā diuina permissio seu concessio, quæ nomine potestatis interdum significata est: velut cum

Ioan. 19. dicitur Pilato: Nō haberes potestatem in me vllā, nisi tibi datum esset desuper. Rursumq;

Luc. 22. vbi dicitur Iudęis: Hæc est hora vestra & potestas tenebrarū. Cuiusmodi potestatem ad nocendum nō semper accipiunt mali, etsi nocendi volūtas non desit. Accipiunt autem interdum secundū occulta Dei consilia vel ad correctionem peccantium, vel ad vltionem perditorum, vel ad probationem fortiū, quibus nocere non sinuntur. Cuiusmodi etiam potestatem diabolus in bęatum Iob acceperat, ma

xi-

ximamq́ꝫ eſt habiturus in caſtra ſanctorum, quando in fine ſeculi ſoluetur è carcere ſuo. Hęc igitur diuina conceſsio atque permiſsio, non eſt ea poteſtas cui ſit obedire laudabile, aut de qua ſcriptum ſit: Qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit. Huic enim cum etiam ad malum ſit et peccatum, rectiſsimè ſimili poteſtate reſiſtitur. Namque vti nocere nobis, quibuſdam ad inferendas iniurias paratis, permittit Deus: ita ſeſe tueri & iuiuriā propulſare non prohibet: Inſulſéque Lutherus docuit, non eſſe bello repugnandum Turcis inuadentibus: ne videlicet Deo ipſi repugnare homo videretur, atque illius poteſtati reſiſtere. Quo ſanè conſtituto, iam nec diabolo ad lapſum impellenti erit reſiſtendum: qui proculdubio nec tentaret quenquam, niſi iuſto Dei iudicio poteſtatem accepiſſet. Quidámque ſimile Iulianus olim effutijt, cum ad hunc ratiocinaretur modum: Si libido pœna peccati eſt, neque à Deo pœna niſi iuſta infera tur, ergo abijcienda pudicitia eſt, ne rebellis in Deum caſtitas, latam ab eo dicatur eneruare ſententiam. Sed poteſtas hoc loco intelligenda eſt ſublimior in ijs qui præſunt, atque ad alios moderandos & regendos gubernacula ſuſcipiunt: cuiuſmodi poteſtati priùs dixerat omnem animam ſubditam eſſe oportere. Quam poteſtatem quoniam in rebus humanis inſtituit Deus, per quam reges regnāt, & legum conditores iuſta decernunt: huic q reſiſtit, diuinæ profectò ordinationi reſiſtit. An poteſt autem culpę nihil habere, diuinæ

Rom. 13.

Aug. li. 5. cōtra Iulianum, cap. 3.

Rom. 13.

reſi-

resistere ordinationi? Sed tamen quantum habeat culpæ nec Apostolus reticuit. Adiungit enim: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Damnationem (inquis) certè, at eam quæ irrogetur à principe seculari. Sed non solet (inquam) ea nomine damnationis diuinis in literis intelligi. Deinde habes illud apud eundem Apostolum non paulo expresſius: Ideoq́ necesſitate subditi estote (inquit) non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Quid dici potuit manifestius? conscientiam maculaturos pronunciat eos, qui præceptis principum parere recusent. Nulla autem re, nisi peccato, maculari conscientia potest. At hoc loco acuti scilicet interpretes, alienam significari volunt conscientiam, eorum nempe qui non credũt: ne si viderint Christianos magistratui non obedire, dicant religionem valere ad seditiones excitandas. Nam & Robertus Stephanus, vti alibi sæpè, ita hic quoque, Noui Testamẽti marginem breuisſima illa annotatione cõspurcauit. Neque verò ad eam refellendam multis est opus, quando vel ipsa sufficiat contextus Apostolici vigilantior inspectio. Non enim solam timeri vult iram, quę in pœna tẽporis huius intelligitur, verùm etiam culpã quæ contrahitur ex offensa Dei. Quod ipsum & reddita ratione consequentibus verbis aperuit: Tanquam enim interrogasset quispiam cur & propter conscientiam potestati subijci Christianos oporteret, quia (inquit) ministri Dei sunt: ideoq́ & illis tributa præstãtur.

Ibidem. *Ibidem.*

Cum

Cùm igitur eoſdē illos ſublimiore præditos poteſtate Dei miniſtros appellet, qui eius in terris vice & authoritate fungantur, quid aliud ſignificat, quam violationem horū conſtitutionis, cum Dei qui eos præfecit, offenſione coniunctam: nec tam miniſtri quàm eius cui miniſtrant, iram pertimeſcendam eſſe? Poſteáque concludens oſtendit, quid principibus iure debeatur: Reddite ergo (inquit) omnibus debita: cui tributum, tributum, &c. Vnde perſpicuè conuincitur, obedientiā, de qua prius loquutus ad hanc cōcluſionem venerat, ſublimioribus poteſtatibus deberi. Quod ſi debeatur non humana ſolùm perſuaſione, ſed Apoſtolica plane ſententia, quis dicere poſſit eius ſubtractionem cùlpa carere? Neque id negari poteſt, quin fiat vitioſe quod fit contra Dei voluntatem. Hanc autem B. Petrus affirmat eſſe Dei voluntatem, vt præfectorum legibus dominorúmque iuſsis pareatur. Id quod gentium Apoſtolus faciendum eſſe docet, non tantiſper modò dum vident illi: ſed omninò ſiue abſint, ſiue præſentes operantium ſedulitatem contemplentur. Atque is demum frugi famulus eſt, qui & abſente domino nihilominus officium facit, tanquam Deo ipſi obtemperans: à quo mercedē eſt obedientiæ ſuæ laborisq́ recepturus.

[Margin: *Rom.13.* — beside the line "iure debeatur…"; *Ephes.6.* — beside the line "tium ſedulitatem contemplentur…"]

Fruſtra hæreticos prætexere peccata præfectorum vt eis doceant obediendum non eſſe.

CAPVT VIII.

QVidam autem hæretici ingreſſi ſemel præcipitem inobedientiæ viam, hanc

etiam rebellandi disciplinam excogitauerunt: vt dicerent eos qui præsunt, simulátque in crimen quodpiam incidissent, amittere præfecturam & ius imperandi. Expedita prorsus ratio excutiendi iugum omne sublimioris potestatis. Quàm enim facilè vel labuntur principes in crimina, vel in ea lapsi finguntur aut creduntur? An erit princeps quisquam qui doctrinam hanc æquis auribus excipiat? qui nouam eiusmodi professorum religionem admittendam suum in regnum putet? Quod si facit, ne cuiusquam impediat in religionis delectu libertatem: profecto caueat, ne quo in crimine deprehendatur, deprehensus enim conuinceretur excidisse potestate. Quid ni verò? cum sic se habeant scita Ioannis VVicleff & Ioannis Hus, patrum nostræ ætatis sectariorum? Nullus (inquiunt) est dominus ciuilis: nullus est prælatus in statu peccati motalis. Quem articulum cum alijs multis, à concilio œcumenico Constantiensi meritò legimus esse dãnatum. Quod enim hoc portentum nouæ doctrinæ? Cur ea potestas excidat mortali peccato, quæ non ex eo genere rerum est, quæ hominem reddunt possessæ meliorem? cur non & ipsa vnà deperit regendi scientia? cur non & alia pereunt quædam viciniora virtuti? velut agnitio Dei vnius, temperantia, fides coniugalis, & complura eiusmodi? Dæmones coercendi, aliáque faciendi miracula potestatem & mali habuerunt, quibus in extremo iudicio dicetur: Nescio vos: discedite à me opera-
Luca 13. rij ini-

rij iniquitatis; & homines regendi atque imperandi potestatem habere mali non poterunt? Quid loquitur simile sanctorum obedientia? patriarcha Iacob, auunculo Laban: Ioseph, Pharaoni: Daniel, Nabuchodonosori: Mardochæus, Assuero: quorum nullus non impius erat, seruiendum parendúmque sibi esse iudicauit. Iuliano imperatori apostatæ crudelissimo, quum aciem produci iussisset ad Reipub. defensionem, miles etiam Christianus obediuit. Vir enim iustus (inquit Augustinus) constitutus sub rege sacrilego, potest & debet, illo iubente, bellare: ciuicæ pacis ordinem seruans, cui quod iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem verò militem ostendat ordo seruiendi. Denique non alij quàm impij Rempublicam administrabant cum diceret Apostolus: Omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse debere, nõ modo propter iram, verùm etiã propter conscientiam. Nec dubitauit illos ipsos qui tum præerant, Dei ministros appellare: quod non fecisset, si potestas ea per quã Dei ministri sunt, ab innocentia vitæ & iustitia nõ posset esse disiuncta. Et est quidem scriptum apud Xenophontem verissimè, nihil magis in Imperatore desiderari, quàm vt eum sui reliquis sapientiorem existiment: magnaq; omnino & singulari prudentia præditum esse illum oportet, cuius sit hominũ societatem, ex mira ingeniorum va-

Lib. 22. cõtra Faustum. c. 75.

Rom. 13.

rietate conflatam, continere ac regere. Veruntamé aliud eſt poteſtas ipſa qua eminet, aliud virtus prudentiaq́ principe digna. Quorum vtrumq; ſine altero tametſi eſſe poteſt, ac ſæpè etiam reperitur: tamen neque poteſtas ſine prudentiæ decore, neque tanta prudentia ſine merito quodam poteſtatis obtinetur. Sed vt corpus ſine anima eſſe poteſt, ſic & ſine prudentia ac virtute principatus. Atque vt circulus aureus non propterea non eſt in naribus ſuis, quod ijs non ſatis aptè videatur infixus: ita non propterea ſeculari quiſquam poteſtate nudatur, quod ea per ſtultitiæ vitium reddatur indignus. Quoniam igitur & in peſsimis moribus ea poteſtas Dei munere reperitur, eſt illic quoque honoranda, non ijs tantum officijs, quæ peculiariter ad venerationem referuntur, verùm etiam obediendi fide ac ſedulitate. Quemadmodum & B. Petrus huius ſui muneris ſeruos commonefa-
1. Petri 2. ciens dicit: Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Idcirco beatus Proſper: Sæpè (inquit) in hoc ſeculo peccatores mundanam potentiam conſequuntur; cum & ipſi ſint iniqui, publicarum tamen legum ſunt miniſtri: quorum poteſtas fidelibus honoranda eſt, propter vtilitatem diſpoſitæ diſciplinæ. Sed ſi in id prorumpant, vt iuſtos veri Dei cultu conentur auertere, nulla eis obedientia, nulla præbenda conſenſio. Hæc ille ad verſiculum Pſalmi 124. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſor-

tem iuſtorum. At eſt (inquis) ab Oſee Propheta ſcriptum de malis regibus: Regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. Verùm ea verba minimè reges illos, de quibus intelligenda ſunt, regia ſpoliant authoritate. Saulem enim regem, cuius aſperum in ſubiectos imperium, & à quo ſceleratè multa in regno geſta leguntur, quis neget imperandi ius habuiſſe, quum eum Deus ipſe ad regni honorem prouexerit, vngique iuſſerit in regem? Sed & impium Hieroboam, vitulorum cultum in populo ſua authoritate retinentem, diſtracto in duas partes Iſraelitarum regno, decem tribubus præeſſe voluit, regníque habere ſucceſſores. Roboam certè Salomoni in throno regio hæreditario iure ſuccedentem, nemo dicturus eſt regiam non habuiſſe poteſtatem: & tamen eius illa vox ad pupulum crudelitatis ac tyrannidis plena fuit: Pater meus cæcîdit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. Non igitur illi imperandi poteſtate & iure caruerunt etiam diuinitus inſtituto, tametſi hoc ad ſubditorum iniurias conuerterēt: ſic Deo videlicet populi ſcelera vlciſcente, qui tales habere reges merebatur. Nam quemadmodum propter peccata terræ, multi principes eius vt longæui nôn ſint, maximè qui benè moderantur, ſed ijs celeriter ſublatis, alij aliſque ſuccedant: ita principum aut auaritiam capacem, aut crudelitatem ſæuientem, aut certè inſignem in curandis Reipublicæ commodis ſocordiam, ſuorum ſcelerum meritis

Cap. 8. — 3. Reg. 12. — Prouer. 28.

populi ſibi frequenter accerſunt. Atque huc arbitror ſpectare Oſee locum: vt non regiæ poteſtatis detractionem ob ſcelera, ſed populi reprehenſionem contineat: cuius malis meritis & votis comparatum eſt, vt haberent Reges, cum antea ab Iudicibus ſub rege Deo moderatiſsimè gubernarentur. Vnde beatus Cyprianus legit: Sibimetipſi regem conſtituerunt, & non per me. Dominus quippe omnium, Deus (qua eſt erga homines benignitate) regnandi ius illud aſperius ac durius non ex ſeſe ſuáque voluntate tanquam vltroneus & primus introduxit: ſed ad id concedendum inſtituendúmque, improbis hominum efflagitationibus ceſsit iratus. Itaque & regnandi ab eo acceperunt illi poteſtatem, & tamen non ex Dei voluntate regnaſſe dicuntur; quòd ab eo primùm profecta non ſit iſtiuſmodi præfecturæ ratio: ſed ab hominibus ſuperbis, Deóque diffidentibus prius vehementer expetita, pòſt ab indignante & irato Deo tributa. Quomodo mortem dicitur non feciſſe; & ipſe tamen eſt qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Ab ipſo eſt enim vita & mors. Verùm mortem in natura hominum non inſtituit primus. Neque enim homines ita primùm condidit, vt mori eſſet neceſſe: ſed quam ſibi homines ipſi peccati merito acceſſierunt moriendi neceſsitatem, eam ſequutus ille tanquam peccati vindex inflixit. Hinc igitur & illa ſunt apud eundem Oſee prophetam, illam ipſam quam notauimus populi

Cap. 13.

Lib. 1. epiſtolarum epiſtola 3.

populi obiurgationem significantia: Perditio tua Israhel ex te: scilicet primam originem ducit. Neque enim Deus, nisi prouocatus & quasi coactus, populum Israheliticum hostibus immissis perdidisset. Tantummodo (inquit) in me auxilium tuum. Nam vbi est rex tuus? cuius videlicet in regio ac triumphali apparatu spem collocaueras? cuius te virtute ac præsidio semper inuictum fore speraueras? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi reges ac principes? Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea. Tametsi igitur ad iram Dei iustissimam quorundam regum noxia imperia pertineant, tamen & talibus (qualis verbi gratia Nero fuisse perhibetur: in quo tantam ferunt extitisse luxuriam, vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: tantam crudelitatem, vt nihil molle habere crederetur si nesciretur) & istiusmodi ergo hominibus summa Dei prouidentia, dominandi tribui potestatem, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas, aperta Sapientiæ voce declaratum est, cum ait: Per me leges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Aut si hoc ita potius intelligendũ est, vt per sapientiam dictum sit reges regnare, id est, regnum iustè, fortiter, prudenterq́ administrare: propterea quod & proximè antecedat ab eadem Sapientia dictum: Meum est consiliũ & æquitas: mea est prudentia: mea est fortitudo; & sequatur per eam ipsam sapientiam legum

Cap. 13. *1. Reg. 8.* *Prouer. 8.* *Ibidem.*

conditores iusta decernere: tum perfacile est, vt eos qui vitijs contrarijs Rempublicam labefactent, intelligamus ex Deo non regnare: non quod ijs imperandi nulla insit potestas, propter quam iure meritoq; honorentur: sed quod eorum administratio, ratioq; regendi à sapientiæ consilijs aliena, non ex Deo, neq; ex charitate subditis consulendi, sed ex dominandi libidine oriatur. Ex se (inquit B. Gregorius) non ex arbitrio rectoris regnãt, qui nullis fulti virtutibus, nequaquã diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius, quàm assequuntur. Quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Et hactenus quidem ostendimus frustra prętexi ab hæreticis crimina principum, cùm eis non libuerit obedire: constitutúmque est hoc esse Reipublicæ stabilimentum, si cordatè, si sincerè obtẽperetur superioribus, siue boni sint ij, siue mali. Id quod præstare subditis vera quidem religio solet: falsa verò & adulterina suffurari.

In pastorali.

Iuxta scripturas sanctas hoc esse debere studium principum Christianorũ, vt vnica in Republica, eaq; Catholica Romana religio obtineat.

CAPVT IX.

POsteaquam ostendimus ex ijs rebus, sine quibus aut nulla respublica, aut certè stabilis non est, vnicam in ea religionem, eamq; præcipuè Catholicam & Romanam, cæteris omnibus repudiatis, & quoad fieri potest, nullum

nullum exercitium habentibus, conseruandam esse: iuuerit (opinor) modo studia principum intueri, cuiusmodi & esse debeant & fuerint erga religionem, ex quo illi Christiani esse cœperunt. Et initio quidem nascentis ecclesiæ, cum adhuc sub infidelibus principibus ipsa laboraret, solo verbi vitæq́ sanctæ præconio, tanquam tubis illis mysticis resonantibus, muros Hierochontinos subuertebat, & impiam, in quibus poterat, demoliebatur ciuitatem. Non armorum adhibebat vim, quorum nondum potestatem acceperat in vllis principibus, non persequutionem faciebat, sed patiebatur, fortitérque patiendo & vincebat, & crescebat. Non erat superioribus nec impijs quidem illis, obstrepera: non vlli magistratui, in quacunque ciuitate peregrinaretur, nouis rebus studendo molesta: nec modò nihil earum legum rescidit aut destruxit, quibus salua pietate pax terrena vel conquiritur, vel tenetur, verùm etiam seruauit atq́ sequuta est. Vnde & ab ipsis Christiani nominis hostibus, vt certè à Plinio secũdo in ijs litteris quas ad Traianum imperatorem Galliæ prefectus scripsit, laus hęc primis Christianis tributa reperitur, nihil ipsos cõtra principũ leges agere solitos, sed obedienter imperata facere, quę cum religione minimè pugnare iudicauissent. Quid? quod nec in ipsa quidẽ delubra deorum passim violenti fuerunt, nec publica sacrificia, quamuis impia, turbanda sibi esse putauerunt, etiamsi non rarò ingenti multitudine præualerẽt? Vera quippe religio

patiens eſt,modeſta,grauis, legitimi ordinis, tranquillitatis,pacis amãs:nec mali tantummodo veritatem fugiens, ſed etiam ſpeciem. Quid verò contra his turbulentius quos ſpiritus ſchiſmaticus inuaſerit?quid violentius? quid magis irrequietum? Facilius enim cum impijs vera religio pacem concordiamq; ſeruat,quoad ſinit ratio pietatis,quàm cum pijs falſa religio. Itaque illa fuerunt Eccleſię naſcentis exordia,vt in perferendis aduerſarijs, patientiæ,modeſtiæ,manſuetudinis & humilitatis virtutibus refulgeret: atque ea conditio,vt ſuis eſſet ab hoſtibus vndiq; circunfuſa,ac inter eos nihilominus & ſtaret inuicta, & incrementa ſuſciperet toto orbe terrarum. Quo ſic nimirum admirabilis appareret virtus crucis, neque illi progreſſus eccleſiæ humanis attribuerentur auxilijs: quod eueniſſet tamen facilè, ſi mox à principio reges habuiſſet,qui vi gladiorum obſiſtentes euangelio nationes ſubegiſſent.Sicut enim non philoſophos & oratores,mundiq; huius ſapientes elegit,per quos cœleſti doctrina hominum gen⁹ imbueret:ſed illiteratos piſcatores,quorum opera & philoſophos atq; oratores in Eccleſiæ retia pertraheret:ne videlicet humanis aſſcriberetur ingenijs cõuerſio gentiũ, in qua ſuæ gratiæ energiam Deus illuſtrem apparere volebat:ita ad eccleſię defenſionem vel amplificationem,noluit ab initio principum armis vti:vt palam fieret non humana aliqua præſumptione aut virtute,ſed diuina prorſus ſapientia & poteſtate, cui reſiſti haud queat,no

uam sub nomine Crucifixi religionẽ introduci atq; stabiliri inter gentes. Vnde ait quidã illorum pene temporũ homo, ex plurimis rebus visum esse sibi, dogma Christianorum diuina prouidentia constitisse, tantoq; processisse cremento, maximè tamẽ ex persequutione gentilium. Hoc autem cum satis illustre redditum est, frustrà per annos complures à potentissimis monarchis oppugnata Christi familia, tandẽ aliquãdo & reges ipsos ac principes Christo seruire oportuit: ne vel eos qui sublimiore hic essent potestate præditi despicere, atque à spe salutis reijcere, vel etiam non posse ad se cõuertere putaretur. Deinde vt his quoque coronis ornata & magnifica appareret eius ecclesia, quam se dixerat positurum esse in superbiam seculorum. Denique voluit impleri quod scriptum est per Isaiam: Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: & aperiẽtur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt adferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur. Et rursum. Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerẽ pedum tuorũ lingẽt. Et aliàs: Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabũt, teq; deprecabuntur. Porrò adductis ad Christum regibus, quid esse potest, in quo laudabilius authoritate sua potestatéque vtantur,

Li. i. trip. hist. cap. 8.

Isaia 60.

Isaia 49.

Isaia 45.

quàm

quàm si Christi Ecclesiam, cuius sunt filij, aduersus inimicos eius, omnibus opibus viribúsque propugnent? Quid verò turpius atque indignius, quàm vt regni sui hostes arceant armis atque propulsent: Ecclesiam verò matrem, quæ illos in Christo genuit, suo gremio fouit, suæ doctrinæ lacte nutriuit, hostiliter vastari patiantur? vt temporariam quandam pacem, tranquillitatem, cōcordiam in regno suo curent: in fide verò & religione consensionem non curent? & vt regni sui statum quàm florentissimā efficiant, elaborent, domus verò Dei decocē nihili pendant? vt læsæ maiestatis reos grauibus supplicijs afficiant: ad blasphemas verò in Deum voces aures clausas habeant? Itaque si regibus illius honos, à quo in alios accepêre potestatem, curæ esse debet: & si illi ferendum auxilium est, cuius partu veram vitam & salutem sunt assequuti: profectò hæreticos & alios quoscunque, qui diuinum nomen impijs vocibus maculant, & grauissima ecclesiæ inferunt damna, non coercere modò districtis in eos gladijs poterunt, sed etiam officij potestatisque ratione debebunt. Pertinet hoc omnino ad principes seculi Christianos quod D. Augustinus ait, vt pacatam suis temporibus velint matrem suam ecclesiā habere, vnde spiritualiter sunt nati. Idcirco Leo Pontifex furētibus in ecclesiam Eutychianis hęreticis, imperatorem Leonem eiusmodi litteris censuit admonendū: Debes imperator incunctanter aduertere, regiā potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed ma-

Tract. 11. in Ioanne.

Epist. 75.

maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacē his quæ sunt turbata restituas. Scripsit idem Pontifex *Epist. 76.* epistolam ad Anatholium Episcopum Constantinopolitanum, in qua & eum castigat quòd perniciosa quadam patientia hæreticos toleraret, & admonet, vt à principe poscat opem ad eosdem comprimēdos: Illud (inquit) sanè plurimum mihi displicere, significo, quod inter dilectionis tuæ clericos quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conniueant prauitati, & vasa iræ vasis misericordiæ misceantur. Quibus inuestigandis & seueritate congrua coercendis, debet diligentia tua vigilanter insistere: ita vt his quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscisio. Oportet enim nos euangelici meminisse mādati, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur: quia melius sit, his in ecclesia carere membris quàm cum ipsis in æterna ire supplicia. Nam superfluo extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt, in ijs quos decipiūt vulneramur. Abijcienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit. Sicut Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, cum ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Quantum itaque opportunitas inuitat officij, reli-

giosissimum principẽ dilectio tua studeat frequentare,& non solum regiam,sed & sacerdotalem ipsius mentẽ precib.meis obsecrare persiste,vt memor cõmunis fidei,quã spiritu sancto docente suscepimus,omnia hæreticorum machinamenta confringat:neq; quicquã illis in ecclesijs Christi licere patiatur, ne in eorum potestate sint diuina mysteria,quibus in domo Dei pro scelerum suorum magnitudine nec habitandi ius residet,nec orandi. Hæc doctissimus prudentissimúsque Pontifex: probè scilicet intelligens has esse pij principis partes,ecclesiæ præfectis assistere, suáque authoritate & seueritate opitulari,ad repurgandas perniciosæ doctrinæ sordes,atque ad confringenda (vt ait) machinamenta hæreticorum:quemadmodum & Ezechias,& Iosias Sacerdotibus quondam ac Leuitis affuerunt potentiæ suæ præsidijs, ad idololatriam exterminandam.Est enim hic ordo,vt primum de doctrina iudicent sacerdotes, iuxta id quod
Malac. 2. scriptum est:Labia sacerdotis custodient scientiam;& legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est. Deinde vt ijdem vigilantia pastorali curent definita retineri à populis,errantes reuocẽt quos possint, docendo, corripiendo: quos autem sanare haud queant, abscindant, atque vt putrida membra resecent à compage corporis. Denique si nec isto modo pernicies arceatur, Catholici principis implorẽt opem, vt adiutor esse velit ad communis matris tutelam.Est enim præfectis quidem ecclesiasticis spiritua-
lis

lis gladius, quem in ſceleratos, ſuiſque in ſceleribus obfirmatos exerunt ſubinde, dum ab Eccleſiæ viſceribus & communione diuellunt, diuinæque protectionis nudatos præſidijs, in poteſtatem Sathanæ tradunt: quo nimirum tanti mali, in quo verſentur, magnitudine perculſi, tandem aliquando reſipiſcant. Verùm cum ea multorum mentibus offuſa caligo eſt, vt animi mala atque pericula nec videant nec curent omnino: ſola verò ea quæ ſenſu percipiunt pertimeſcant, alium profectò gladium, qui & videatur & ſentiatur, & maiorem afferat metum, educi ſubinde neceſſe eſt à propugnatoribus Eccleſiæ: Quæ tanquam pia & ſedula mater omnem dat operam, vt profugientes à ſe filios, aut à ſuis auulſos vberibus, in gremium ſuum redire compellat: modò per Eccleſiæ præſules excommunicationis virga feriendo, modò per reges & principes, vbi priorem illam ſeueritatem contempſerint, etiam exilij, vel mortis interminatione terrendo. Nam quemadmodum is qui peſtem patriæ, qui ciuium perniciem nefariè moliatur, non vt perditus ciuis, ſed vt hoſtis importuniſsimus infeſtiſsimúſque tractādus eſt: ita illum qui non iam Chriſtianorum more, Chriſtianæ diſciplinæ leges ac pœnas pertimeſcat, ſed vt hoſtis, omni ratione impugnet, omni arrogantia contemnat, non vt perditum Chriſtianum, excōmunicationis gladio coerceri, ſed vt prophanū & impium Dei atq; eccleſię hoſtem, conſpicuis iſtis

com-

communibusque facinorosorum supplicijs affici par est. Quanquam enim quod Dei famulus Moyses in multos gladio vindicauit: quod Phinees sacerdos adulteros simul inuentos ferro vltore confixit: significauerit (Augustino quidem interprete) quid degradationibus & excommunicationibus esset faciendum, cum in Ecclesiæ disciplina, quemadmodum ait ipse, visibilis fuerat gladius cessaturus: tamen extra eam quæ Ecclesiæ propria est, & quæ per illius præsides administratur disciplinam, visibilem interdum gladium educi necesse est: in eos sanè maximè, qui ecclesiasticæ disciplinæ gladium inuisibilem, quod eum nec videant, nec sentiant, lædere minimè putant. Quæ res vt opera Christianorum principum circũspectè et prudenter agatur, ad vigilantiam Ecclesiæ præsulum & curã pertinet: quẽadmodum hoc Leo sanctissimus cum exemplo suo, tum & litteris supra commemoratis ostendit. Qui profecto si illorum opem cum res postulat non implorarent, non modo non esset eorũ laudãda patientia, verùm etiam negligentia iure meritoq; damnãda: non quod semetipsos vitamq; suam negligere, sed Christi Ecclesiam viderentur. Neque enim & Beatus Apostolus vitæ suæ temporariæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando hostium suorum consilium, Tribuno vt proderetur, effecit. Quo factum est, vt eum miles armatus deduceret, ne præsidijs destitutus, illorum pateret insidijs. Romanas quoque leges implorare minimè dubi-

Li. de fide & operib. ca. 2.

dubitauit, ciuem Romanũ se esse proclamãs: quos tum affligi verberibus non licebat. Denique ne Iudæis ipsum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium, Romani quidẽ principis, sed minimè Christiani. Quibus factis suis nõ id satis ostendit quid facere postea deberent Christi dispensatores, quando imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperient? Sic igitur temporum ordo voluebatur, vt prius Iudæi atque gentiles Christum eiusq; præcones occiderẽt, ac se interim his factis arbitrarẽtur obsequiũ præstare Deo, dum scilicet impleretur illud: Quare fremuerũt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Psalm. 2.* Inter quos inimicorum crucis Christi furores, elucebat inuicta Martyrum patientia, sanguisque ille tot in locis effusus, velut multiplicãdis Christianis semina copiosè præbebat. Postea verò cum impletum esset illud: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei; *Psalm. 71.* ipsi illi reges terræq; principes ad Christi regnum honorémque tuendum, sceptra sua & vires conferre debuerunt.

Dissoluuntur argumenta quædam, ex ratione scripturisque petita, quæ supradicta conuellere videantur.

CAPVT X.

NEque verò est quod quisquam dicat ijsdem artibus regnũ facilè retineri, qui-

bus initio partum sit; Quare si humilitatis & patientiæ virtute, partum est Christi regnum, tam florens & amplum, neque inferendis auctum est supplicijs, sed perferendis: ijsdem prorsus nunc artibus retineri oportere. Primùm enim perferendis supplicijs creuit eousque, vt & reges ei seruire possent supplicijs inferẽdis. In quo quidem officio, propria est regum seruitus quatenus sunt reges, vt eo pacto, cum necesse est, ecclesiam tueri conentur. Deinde hoc interim verissimum est, vti patientiæ virtute partum est initio Christi regnum, ita nunc quoque eadem retineri. Quis enim neget magna patientia tam multos superbos, tam multos ebriosos, tam multos omnis penè generis peccatores in Ecclesia tolerari: inter quos boni gemere coguntur & lugere, magnaq; vigilãtia niti, ne quandoque victi humana quadam amicitia, vitæ consortio maculentur? Si patientiæ virtute non esset modò quoque retinendum Christi regnum, cur diceret Apostolus Timotheo:
2. Tim. 4. Argue, obsecra, increpa in patientia & doctrina? & rursum: Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, doci-
2. Tim. 2. bilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati? Quis vel seipsum sustinet, vel proximi supportat infirmi-
Colos. 3. tatem sine patientia? Deniq; omnes quia quod non videmus speramus, per patientiam expectamus: istáque patientia in Christi regno retinemur. Impatientia verò schismaticos & hæreticos facit, & ad Iudæorum similitudinem

nem contra Christi pacem & charitatem rebelles, ad hostilia & furiosa odia compellit, inquit D. Cyprianus. Contra quos aliud accessit progressu temporũ, quo retineri etiam Christi regnum posit: cum nempe filios Ecclesia habere cœpit ea præditos potestate, vt ferro quoq; & armis pro illa depugnare possent. Quibus pro Christi cui seruiunt causa: pro religione, per quam solam ijs aditus ad veram fœlicitatem patet: pro Ecclesia matre, quæ illos in Christo genuit, fouit, educauit: vt sese non moueant, nemo profectò mente sobrius dicturus est. Aiunt tamen parum ista congruere vaticinio Isaiæ Prophetæ, à quo prædictum esse videatur, vsum gladij inter filios noui testamenti cessaturum: Contundent enim (inquit) gladios suos in vomeres, & lanceas hastásque in falces; neque vltra, aut bellum addiscent, aut prælio assuescent. Hoc illi proferre solent, qui cum sibi malè conscij sint, impunitatem interim poscũt: quam vt concedi commonstrent oportere, tota vexant Biblia, vt ab ijs aliquod vel frigidum testimonium extorqueant. Apud quos tamen cum adest potestas, magis illud semper valet quod ait Poeta:

Vide Cyp. serm. de Patientia.

Esaiæ. 2.

Et curuæ rigidum falces conflantur in ensem.

Sed eorũ iam mittamus gladios quos promptisimè in Catholicos exerũt. Quid si communis exurgat hostis omnium eorum qui nomen Christianum profitentur? num hic opprimi se patientur reges Christiani? Et vt proprias ipsi coronas debeant paruipendere,

Verg. lib. 1. Georg.

Christi gloriam nulla dignam defensione iudicabunt? tot Christianis animabus, ne sub Antichristi dominatu miserabiliter intereāt, nullam opem sui præsidij censebunt afferendam? Quid tot imperatorum & regum Christianorum aduersus Gotthos, Vandalos, Hunos, Saxones, Normānos, Longobardos, Machometistas arma & prælia loquuntur? Quid Armeniorum olim gens, vtilissima & amicissima populo Romano? quæ cùm, Maximino tyrannidem in pios exercente, Christianę religionis ritum in idolorū cultum mutare cogeretur, & dæmones venerari pro Deo, inimica & aduersaria effecta est: manúque se aduersus eius edicta defensare parauit, ac sponte bellum intulit. Hæc igitur omnia num ita quisquam improbāda censebit, vt dicat non debuisse filios noui testamenti falces suas in gladios conuertere, contra Isaiæ vaticinium? Imò verò quonam modo potest illud Isaias prædixisse videri, nec defensuros quidem se gladio Christianos aduersus suæ religionis hostes, cum hoc eos sæpissimè constet summo omnium bonorum consensu & ardore fecisse? Non hoc igitur prædixit, quia factum esset indubiè si prædixisset: verùm vim gratiæ noui testamēti propheta diuinus expressit: qua tam admirabilis, adeóque stupenda hominum metamorphosis effecta est, vt qui antea Christi ecclesiam hostili oppugnatione vastabant, ijdem postea Christianam fidem amplexi, eiusdem Ecclesiæ spirituales fierent agricolæ: qui & vomere prædicationis pec-

Hist. Eusebij: lib. 9. cap. 8.

catorum

catorum corda verterent ad ſatus diuinos accipiendos, & eiuſdem prædicationis tâquam falce quadam, albos ad meſſem populos colligerent in regna cælorum. Nam illud quod prætendunt hæretici ſi prædixiſſe propheta putandus eſt, quonã modo vaticinatus eſt ex eodem ſpiritu Zacharias propheta de tempore noui teſtamenti hunc in modum? In die illa (inquit) erit fons patens domui Dauid & habitâtibus Hieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituũ, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà: & pſeudoprophetas & ſpiritum immũdum auferam de terra: & erit cum prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius qui genuerunt eum: Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini. Et configent eum pater eius & mater genitores eius cũ prophetauerit. Tam pias in Deum mentes fore propheta ſignificat, vt qui aduerſus religionem quippiam protulerint, dignine illi morte ſint non expectetur publicum iudicium, ſed pereant qui tales ſunt (inquit D. Hieronymus) etiam ſententia propinquorum. Vſqueadeo paterni materniq; affectus homines obliuiſcentur, quo Dei retineât in vna vera religione ſeruitutem. Obijciunt nihilominus hæretici, & qui eorum in hac cauſa partes agunt: cognita Chriſti manſuetudine, Chriſtianos clementes eſſe decere, nullâque, præſertim in cauſa religionis ac fidei, ſeueritate vti; præferréque illata ſupplicia,

non inferre. Sed errat vehementer quisquis hæc ea mente dicit, vt putet cum seueritate disciplinæ, mansuetudinem clementiamque constare non posse. Quis enim Moysen primum Israhelitici populi ducem mansuetum fuisse neget? cum etiam mansuetissimũ fuisse omniũ hominum, quos tum quidem terrarum orbis haberet, diuina scriptura testetur. Atque is tamen, idololatria populi cognita, tantam indignationem præ se tulit, vt quas
Nume.22. de monte tabulas afferebat, ad radicem montis proiectas confringeret: tantáque est ira ad vltionem inflammatus, vt adiunctis sibi Leuitis, nec fratribus, nec amicis, nec proximis parci voluerit: tantaq; tum est hominum illius iussu edita strages, vt circiter trigintatria milia hominum gladius absumpserit. An nõ mansuetus & mitis Samuel? & tamen cum illi oblatus esset pinguissimus Agag tremens, repentè leum in frusta concîdit, cui vitiosa clementia rex Saul vitam antea donauerat. Puto & Mathatiam Iudaici populi sacerdotem ac principem laudatissimum, fuisse clementem: & tamen sacrificantem idolis Iudæum, accensus ira secundûm iudicium legis, super ipsam aram trucidauit: simulq; virum eum, quem rex miserat Antiochus vt sacrificare cogeret, occidit ipso in tempore, & aram euertit. Atque ob hæc facta laudatur à scriptura: quod nimirum, sicut Phinees, zela-
1.Macb.2. tus sit legem Dei. Quẽ filius eius Iudas imitatus, eodem zelo perscrutabatur iniquos, qui
1.Macb.3. populũ eius conturbabant, flammisq; succendebat.

debat. Et quid alios hisce consimiles commemorem? Christus Dominus, nónne mitis & mansuetus? imò nónne clementiæ totius viuum & perfectum exemplar? & is tamen facto sibi flagello, ementes vendentesque templo eiecit, & mésas nummulariorum, ac vendentium columbas euertit, illud de se conscriptũ implens vaticinium: Zelus domus tuæ comedit me. Princeps Apostolorum Petrus Ananiam & Saphiram, quia votum violassent, verbo interemit: nec eum tamen (opinor) fuisse clementem, aut noui testamenti filium, quisquam est negaturus. Vt igitur illi mansueti clementesque fuerunt, ita principes Christianos, cæterosque omnes clementes esse decet: nempe vt mansuetudinem ac misericordiam assiduè animis gerant, clementesque se, quantum quidem in ipsis est situm, semper exhibeant. Si enim gentilium nõ pauci, teste Ambrosio, gloriari soliti erant, quòd incruentam de administratione prouinciali securim reuexissent: Quid Christiani facere debent, qui in Christi mansuetudine dicentis: Nec ego te mulier condemnabo; propositum habent quod sequantur? Foris interim quod pro tempore, pro locis, pro ingenijs ac reipublicæ necessitate faciendum esse prudentia dictauerit, editis etiam seueritatis exemplis exequantur. Talis imperator Theodosius extitit, vir (Ambrosio teste) misericors, humilis imperio, corde puro & pectore mansueto: & is tamen non sine seueritate sacrilegos remouit errores, clausit impia templa, simulachra

Ioan. 2. *Epist. 57.* *Ioan. 8.*

destruxit, bella gessit: è quibus tamen victoriam fide magis quàm armorum vi reportauit. Quod si ea esset clementiæ mansuetudinisq; ratio, vt nihil molestũ, nihil durum, nihil asperum cuiquam inferri ob scelus oporteret, quem rogo nunc ciuitatum, quem regnorum ac prouinciarum omnium statum haberemus? Saltem (aiunt quidam) leuiora supplicia vt sint, tẽporis ratio postulat. Nec aduertunt nunc fures è medio morte tolli iustissimis probatissimisq; principum ac ciuitatum legibus, cum solam dupli aut quadru-
Exodi.22. pli pœnam lex vetus deposceret. Sed aliud est quod vehementius vrgent, nempe exorta noua quapiam religione in republica, sequẽdum esse Principi Gamalielis iudicium atq; consilium. Dixit enim ille cum de Christianis interficiendis cogitaretur à quibusdam, productis Theodæ & Iudæ Galilęi exemplis:
Actorũ 5. Et nunc itaque discedite ab hominibus istis, & sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus dissoluetur: si verò ex Deo, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini. Voluisse videtur (aiunt) Gamaliel vir integerrimo iudicio, noua atque inaudita proferentibus dogmata, vim nullam esse faciendam: sed libera ijs professione permissa, exitum esse præstolandum: propterea quod si in errore illi versentur, nouasq; & à vero abhorrentes opiniones, pro veritate venditent, eorum studium conatúsque omnis, vt in nihilum concidat, vltróque euanęscat necesse sit. Verùm con-

ſilium Gamalielis cum penitus inſpicitur, non modo non eorum cauſam adiuuat, ſed labefactat etiam atque ſubuertit. Nam ſi noluit eos vlla vi coerceri, qui nouam de religione doctrinam protuliſſent, cẽſuitq́ꝫ vltro & quaſi ſua ſponte poſſe concidere quod Deum non haberet authorem: quid ſibi ergo volunt exempla Theodæ & Iudæ Galilæi, quorum furorem non ignorabat armis fuiſſe repreſſum? Fadum enim præſidem ſcribit Ioſephus miſſo exercitu, ſeductos à Theoda partim tradidiſſe neci, partim captiuos abduxiſſe, ipſo ſublato ſeductionis authore: Cùm Fadus (inquit) prouinciam gubernaret, quidã vir Magus nomine Theodas, populis multis ſuaſit, vt ſumentes ſubſtantias ſuas, ſequerentur eum ad Iordanem fluuium; ſemetipſum aſſerens eſſe prophetam, & præcepto fluuium diuidere, vt eis facilem tranſitum prębereт. Hęc ergo dicens ſeduxit multos. Non tamen permiſit eos Fadus ad experimentum ſuæ inſipientiæ peruenire, ſed repentè cohortem miſit equeſtrium ſuper eos, quæ inopinatò irruens multos peremit, plurimos autem viuos cepit, ipſumq́ꝫ Theodam deprehendentes capitis ſectione mulctauerunt. Et capite quinto eiuſdem libri: Inſuper (inquit) Iacobum & Simonem filios Iudæ Galilæi, qui populum à Romanorum poteſtate ſubducere nitebãtur, ſub Cirenio Iudææ præſide, crucifigi Alexander imperauit. Hæc igitur ab Ioſepho conſcripta, multóque minus incognita Gamalieli, num ſignificant non obuiam eundum eſſe

Ca. 4. li. 1. Antiquitatũ.

pſeudoprophetarum conatibus? non armorum vim cùm viribus valent obijciendam? Quid illud etiam declarat, quod cæteri probato Gamalielis conſilio, conuocatis Apoſtolis, ijſque cæſis denũciarunt, ne amplius quicquam de Chriſti nomine loquerentur? An nõ ſatis fortaſſe quid diceret Gamaliel fuerant aſſequuti, ſed iſtorum opera qui explicarent, indigebant? Hoc igitur Gamaliel, quod omnibus cauſis commune eſt, in cauſa quoque Apoſtolorum voluit obſeruari: ne præcipitaretur ab ijs damnationis ſententia, neque temerè crucifixi diſcipulos vt blaſphemos, aut falſæ religionis authores è medio tollerent, cum nondum id ſatis exploratum haberent, diuináne eſſet an commentitia doctrina quam proferrent: ſed differrent pauliſper, réique exitum obſeruarent. Nam ſi humanum figmentum eſſet, mox deprehenſum iri: impietatem ſuo ſemet indicio prodituram, continuoq; per ordinatas poteſtates, Deo ſic comparante, comprimendam eſſe. Sic enim Theodæ ac Iudæ Galilæi cœpta, quòd nullo Dei ſpiritu fulciebantur, in nihilũ abiêre. At ſi quod ab illis traderetur, diuinitùs eſſet patefactũ, nullis molitionibus, nullóque hominum conatu euertendum eſſe. Contra hoc conſilium nihil ab ijs agi qui manifeſtas, maturoq; iudicio damnatas hæreſes armata manu, cum opus eſt, perſequuntur, quiuis nũc (vt opinor) intelligit. Neque enim eſt Eccleſiæ infantia aut nuditas ea, vt adhuc ei difficile ſit qualia ſint hæreticorum dogmata, iudicare: ſed certiſsi-

tiſsi-

tiſsimas acceptæ à Chriſto doctrinæ fideique regulas ſequens, quid ſalutare, quid noxium, quid amplectendum, quid fugiendum eſſet, ſine omni ſemper errore perſpexit. Quamobrem non id timendum, ne Deo fortaſſe repugnare velle videantur, qui hæreticorum & ſchiſmaticorum obſiſtunt conatibus: ſed id verendum potius, ne illis noſtra ſocordia magis, quàm virtute ſua vincentibus, vera tandẽ religione iuſto Dei iudicio ſpoliemur. Iam non illud magni eſt momenti, quod obijciunt ex Euangelio, diſcipulis vindictam poſcentibus à Domino reſponſum eſſe: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non venit animas perdere ſed ſaluare. Ex quo loco Lutherus non dubitauit colligere, contra voluntatem ſpiritus eſſe, hæreticos extremis tradi ſupplicijs: Scilicet ſpiritus diuinus cum cæteras peſtes è Republica profligari atque exterminari voluerit, eámque ob rem gladij ius miniſtris ſuis tribuerit, hanc vnam perniciem exuperantem, reliquas ali voluerit ac foueri. Ergóne cui blaſphemos, cui religionis corruptores, populíque ſeductores, cui homicidas, cui generatim maleficos perimi placuit: hic vt profligarentur hæretici, carnifices animarum crudeliſsimi, non ſatis æquum eſſe aut nõ expedire iudicauit? Et quid ergo Luthere cauſæ eſt, cur apud eos, qui te vſos præceptore ſe eſſe gaudebant, contra ſpiritus voluntatem tanta eſſet in Catholicos licentia gladiorum, vt non modò pietatis, ſed ipſius etiam humanitatis principia ſublata eſſe

Luc. 9.

esse viderentur?cum & crudelissimis odijs ar-
derent animi atque oculi singulorum, & cæ-
dibus ac sanguine manus maderent, & bellis
plusquam ciuilibus ciues committerentur?
Illíne sanctè, iustè, vtiliter cuncta peregerunt,
Luc. 9. nos audire cum discipulis illis debebimus:
Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis
non venit animas perdere, sed saluare? Quan-
quam & Heliam supra meminimus, in suos
Deique contemptores ignem è cælo deuocas-
se: neque id quin iuxta voluntatem spiritus à
sancto propheta factum sit, dubitari potest.
Cur igitur Catholicorum facta principum,
non de huius potius comparatione proban-
tur, quàm de illorum obiurgatione damnan-
tur? In quibus quod est à Domino reprehen-
sum, nullus est, qui ab ecclesia fieri putet, nisi
qui ab ea sit alienus. Cum enim illos animad-
uerteret non correctionem amare eorum qui
hospitium negauissent, sed odij amaritudine
vindictam expetere: castigatos docuit pro-
priæ quidem personæ iniuriam patienter &
infractè ferendam esse: Diuinæ verò seruitu-
tis iniuriam inultam relinquere, si spiritus
voluntati probaretur, nunquam B. Aposto-
lus Magum illum, qui proconsulem Paulum
Sergium auertere à fide conabatur, cæcitate
percussisset. Quod igitur ille fecit diuino in-
dubiè spiritu incitatus, ne vnius salus impe-
diretur nequissimi hominis astutia: non id fa-
cerent principes tradita sibi potestate, ne in-
numerabiles animæ plurimorum circumcir-
ca vagantium dolis serpentinis perderentur?

Et

Et tamen quanquam Dominus(inquit Augustinus)per seruos suos regna subuertit erroris,ipsos tamen homines, in quantum homines sunt,emendandos esse potius quàm perdendos iubet. Et quicquid diuinitus ante vltimum iudicium vindicatur,siue per improbos,siue per iustos,siue per scientes, siue per nescientes,siue occultè,siue palam:non ad interitum hominum,sed ad medicinam valere credendum est:quam qui respuunt,æterno iudicio præparantur. Nec igitur erit homini in hominem sæuiendum, sed si quando pœnas efflagitabit noxia hominum generi quorundam improbitas,ex sanandi vel præseruandi misericordi animo, non intẽtione perdendi, irrogandæ erunt. Quisquis enim in peccãtes animaduertit, humanæ debet infirmitatis & prauitatis ingenitæ,qua nec ipse careat, meminisse,eiusq; contemplatione lugere miserãdum hominis statum, neque nisi inuitus & dolens ad inferendum supplicium trahi. Illi (inquit Augustinus Manichæos alloquens)in vos sæuiant,qui nesciunt, quo cum labore verum inueniatur, & quàm difficilè caueantur errores.Illi in vos sæuiant, qui nesciunt quã rarum & arduum sit, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæuiant,qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt posit intueri solem suum.

Cap. 1. li. cõtra epistolã fundamenti Manichai.

Li. cõtra epistolam fid. Manich. ca. 2

Christianorum principum exemplis declaratur studium fuisse in Ecclesia perpetuũ, vt vnica religio Catholica Romana, quoad posset, in publico suo exercitio retineretur.

CAPVT XI.

RES iam postulat, vt quæ de Christianorum principum officio erga vnicam veram religionem, & rationi, & scripturis sanctis esse consentanea docuimus, eadem exemplis clarissimorum Imperatorum ac Regum demonstremus. Primus omnium Constantinus, quam solam religionem efflorescere & obtinere publicè & priuatim voluerit, Ecclesiastica nos historia docet. Deuictis enim hostibus nominis Christiani, non solùm tyrannicas remouit leges, sed & maximis priuilegijs Ecclesias clerúmque donauit, & dignitates ac præfecturas passim omnes à solis geri voluit Christianis. Horum templa & magnificè extruxit, & liberaliter dotauit. Cœlibatui & professioni sanctæ virginitatis, quam vilem habuerat gentilitas, singularem detulit honorem. Episcopos, sacerdotes, diaconos, cæterosque ordines ecclesiasticos mirificè coluit semper. Gentilẽ verò superstitionẽ ea primùm moderatione deiecit, vt qui eã retinerent mordicus, nullis honoribus afficeret. Deinde & idolis tandẽ sacrificare negatũ est, vt nec paganis celebritatibus, nec dedicationib. nec diuinationibus iã esset relictus locus. Quæris quonã modo erga hæreses sese habuerit. Eo siquidẽ tempore variæ inter Christianos hæreses grassabantur: & nonnullæ

Li. 1. trip. cap. 9.

qui-

quidem erant multo antè exortę, liberiúsque grassatę, persequutionibus Imperatorum gẽtilium in ecclesiam feruẽtibus: quas quidem hæreses tum satis ab ecclesia Dei constabat esse damnatas: vt erant Nouatianorum, Valentinianorum, Marcionistarum; Paulianistarum, & aliæ complures. Contra has igitur omnes Imperator posita lege, sanciuit auferri eorum oratoria, & ecclesijs applicari: & neque cœtus vllos aut priuatis in ædibus, aut publicis in locis celebrare permisit. Satius enim esse iudicabat in Ecclesia Catholica communicare, atque in eam vti potius conuenirent, cunctis suadebat. Propter quam legem arbitror (ait Sozomenus) hæreseon memoriã fuisse destructam. At hæresis Ariana, q̃ tum primũ oriebatur, permultum ei negotij, plurimum'q; difficultatis exhibuit. Et initio quidẽ motas ab Ario quæstiones præter religionem ac fidem Christianã, existimauit esse. Ideo'q; offensus, tanquam de subtilitate sola, grauioribus, quàm sacerdotes deceret, contẽtionibus excitatis, partes ambas suis hortatibus cõciliare studebat: ob id maximè, quòd cerneret huius occasione dissidij mysteria Christiana paganis vilescere, eorumque obtrectationibus obnoxia reddi, populumque Catholicum in contrarias distrahi factiones, declarat hæc eius epistola, quæ scripta est ad Alexandrum pontificem Alexandrinum. In qua de disceptatione quid senserit, ostendit his verbis: Huiusmodi enim quæstiones quæ non alicuius legis necessitate proponuntur,

Li.3.trip. cap.11.

inu-

inutilis vacationis tempus exquirunt. Et licet causa cuiuspiam naturalis exercitij fiant, tamen debemus eas intra sensum claudere, & non promptè in publica conciliabula deportare, nec omnium auribus inconsultè committere. Quantus enim est hominum captus, vt posit adeò magnarum rerum adeoq́; diffi cilium virtutem aut ad perfectum inspicere, aut interpretari dignè? aut si quis hoc facere quamuis ægrè posit, quantæ parti populi persuadebit? Et infra: Non enim pro summo legis mandato occasio certaminis inflammata est, neque noua quædam pro Dei religione hæresis introducta: sed vnam eandemq́; ratio nem habetis, sicut etiam vnũ communionis signum. Vobis enim inter alterutros pro paruulis & valde modicis contendentibus causis, tantum Dei populum, quem vestris orationibus & prudentia conuenit gubernari, discordare nec decet, nec omnino fas esse credibile est. Vt autem paruo quodam exemplo sapientiam vestram commoneam: Nostis etiã ipsos philosophos, quia in vnum quidem do gma cuncti consentiunt: cum verò in quadã sententiæ parte inter se dissident, licet disciplinis virtute separentur, tamen adinuicem corporis vnitate cõspirant. Cum hæc ita sint, quanto iustius est vos magni Dei ministros, vnius consensione religionis esse concordes? hæc tum Imperator, sicq́; de exorta cõtrouersia persuasum habuit, nihil esse tanti, vt propterea alios ab alijs seiungi oporteret. Verùm vbi sensim edocetur de magnitudine quęstio-

nis,

vls, ſimulq́ animaduertit, quē ea res exitū eſſet habitura, ni maturè prouideretur: cōciliū illud celeberrimum grauiſsimúmque trecentorum decē & octo Epiſcoporum, Nicænam in vrbem pio feruore ſuo coēgit, vt vel hac ratione lite terminata pax redderetur eccleſijs. Poſteaquam autem eius authoritate concilij (quam, vt pium decebat principem, fecit maximi) prophana de filio Dei, Arij commēta damnata ſunt: num adhuc eum cenſes leuiter aberrare à vero, presbyterum Arium exiſtimauiſſe? Illúmne adhuc tolerandum eſſe ſua cum profeſsione putauit? Nónne & ipſum & eius libros totis eſt animi præcordijs auerſatus? Manifeſtat hoc eius epiſtola, quam poſtea ad epiſcopos populóſque Chriſtianos ſcripſit: Malignos (inquit) & impios Arius imitatus, dignum eſt vt illorum quoque ſuſcipiat vltionem. Sicut ergo Porphyrius diuinæ pietatis inimicus, iniqua volumina contra religionem proferēs, dignam promeruit inuenire mercedem, & talem per quam in poſterum eſſet opprobrium, & plurima compleretur infamia: ita nunc placuit Arium & conſectatores eius vocari Porphyrianos: vt quorum mores imitati ſunt, eorum vocabulo perfruantur. Super hæc autem ſi qua conſcriptio ab Ario facta reperitur, igni tradatur: vt non ſolùm praua eius doctrina depereat, sed neque eius vlla poſsint remanere cōmenta. Hoc etiā præcipio: Si quis conſcriptiones Arij cælaſſe comperitur, qui non repentè proferens, igni conſumpſerit, mortis

Lib.2.tri. cap.15.

supplicio subiacebit. Mox enim, vt in hoc fuerit captus, capitalem suscipiet vltionem; declarat hoc ipsum & ea epistola, quam ad Ni-
Li.3. trip. cap.22. comedienses scripsit, de Eusebij Nicomediensis insolentissima tyrannide: in qua & Arij superbiam principium ait dedisse tantis turbarum malis, & hæc ipsa corroborata esse Eusebij prauo pestiferóque voto: Denique propterea (inquit) circa istos ingratos decreui peragere, vt abrepti procul deportentur exilio. Et rursum: Si quis ad memoriam illorum pestilentium, aut ad laudem improuidè præsumit excitari, repentè in sua præsumptione, ministri Dei, hoc est, meo opere comprimetur. At Arium (inquis) postea Imperator & ab exilio reuocauit, & reuocatum in communionem recipi iussit? & vsque adeò quidem, vt is qui acerrimè illi, fidei causa, aduersabatur Athanasius, in exilium ipse pelleretur? Sed nihil ista mirabitur qui fraudes hæreticorum & mendacia, versutiæque serpentinæ plenas artes cogitabit. Quomodo enim non reciperetur presbyter Arius pœnitens, erroremque damnans suum, & Nicænæ fidei subscribens decretis, asserensque etiam iureiurando se ita, quemadmodum scripsisset, animi iudicio sentire? At ille interim Nicæni decreta concilij callida circumueniebat arte, suóque pro arbitratu illa interpretans, credulo nimium Imperatori nequissimus hæreticus illudebat. Atha-
Li.3. trip. cap.10. nasius verò, cur non exturbaretur in exilium, qui fuisset interminatus se non missu-

rum

rum frumenta Constantinopolim ex Alexandria? Hæc enim aliáque multa artifices illi de Athanasio finxerant, seq́ ita instruxerant ad calumniam, vt in promptu etiã testes essent, per quos, quæ vellent confirmarent. Multum autem (ait Socrates) derogatio præualet, quãdo is qui derogat: creditur fide dignus. Hac igitur subreptione cum incanduisset Imperator, Athanasium in Gallias relegauit. Quãquam non defuerint, qui alio hoc consilio ab Imperatore factum putauerint. Itaque cum iam damnata esset hæresis Ariana tanta totius Christiani orbis authoritate, atque Imperator decretum esset Episcopale complexus, Ariani contra sanam fidem nihil ausi retractare, se quoque tanquam acquiescentes, Ecclesijs miscuerunt. Sex soli cum Ario se patiuntur expelli, reliqui vndecim consilio inter se habito acquiescũt ad subscribendum manu sola, non mente. Cuius simulationis author præcipuè fuit Nicomediæ Episcopus Eusebius. Manebat interim in eorum pectoribus insitum altéque inhærens in Catholicos viros odium: & aduersus quos disceptare de fide non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant. Sed ex omnibus non alium magis quàm Athanasiũ remouere cupiebant. Is iurisconsultus aliquando fuerat, authore Sulpitio, postéaque diaconus Nicæno cõcilio interfuerat, acri vir ingenio, & Ariani doli perspicientissimus, quiq́ semper ijs quasi murus obstiterat. Hoc remoto, reliquos in suam libidinem *Lib. 2. sacræ hist.*

facilè cessuros sibi pollicebantur. Namque synodũ Nicænam pro se interpretãtes, quam vnius litteræ adiectione corruperant, caliginem quandam in re præsertim obscura offuderant veritati. Siquidem vbi homousion erat scriptum, quod vnius est substantiæ: illi homiousion, quod est similis substãtiæ, scriptum esse dicebant; concedentes similitudinem, dummodo adimerent veritatem. Sed quid hic Arianorum innumeras fraudes deceptionesq́; Episcoporum plerorumque persequi coner? Satis hic fuerit demonstrasse id quod erat propositum. Constantinum imperatorem egregiè pij & Catholici principis officio functum esse, neque aliam, quoad vixit, quàm vnam Catholicam & Romanam religionem ac fidem synodi Nicænæ decreto firmatam (cui B. Syluester Romanus Pontifex per suos præsedit, authoritatémque, ipso id petente patrum concilio, tribuit) pati in suo imperio potuisse; qui verò huic repugnassent, ita vt id ab illo resciri potuisset, in exilium abripuisse. Itaque tametsi non omnes Nicæni concilij dogma susciperent, tamen (vt est in historia) superstite Constantino, apertè nemo renuere audebat. Quod autem ei sit interdum specie huius religionis impositum, præsertim à sacerdotibus, nemo miretur, cum diuinus quoque Dauid non à pontifice, non à sacerdote, sed à seruo Siba, contra dominum suum Miphiboset mendacia proferente, deceptus sit. Magis multo mirandum est, tam multos ab ijs Dei sacerdotes

Li. 4. trip. cap. 1.

atque

atque episcopos grauissimos, toto terrarum orbe illorum in partes pertrahi potuisse. Expectas modo, filij Constantini quid pro hac vnica religione præstiterint. Nec dubium id quidem est, quin illi quoque omnes in vnius huius conseruationem incubuissent, nisi Arianorum episcopi, qui primarias obtinebāt cathedras, dolis obstitissēt. Quibus effectum est, vt Constantius quidem ipse eorū in partes deceptus abiret, fieretq́ tandem Ecclesiæ sæuissimus persequutor. Constans verò, etsi maximè vellet solam Nicænæ synodi fidem vbique valere (quam intra sui quidem fines imperij solam patiebatur) neque id Orientis episcopi, neque ab ijs fascinatus frater sinebant: Scribebat nihilominus ad hunc litteras, quibus admoneret, vt paternæ pietatis inuiolabilem seruaret hæreditatem: posteaque rursum alias scripsit, quæ non modò monitionem aut consilium habuêre, verùm etiam interminationem pio principe dignam. Primum enim denunciauit fratri, vt episcopis Catholicis præberet auditum: Deinde adiecit, ni vellet quod iustū est facere, seipsum Alexandriam profecturum, & Athanasium suis ouibus, eius desiderantissimis, redditurum; inimicorum verò cateruas profligaturum esse. Sed quanquā ea res Athanasio profuerit ad reditum, pars tamen altera implacabilibus odijs imbuta veritatis, cōpesci non potuit. Itaque mortuo maximè Constante, cum Constantius liberius iam, amoto metu fratris, quod vellet ageret: impediente nemi-

Li. 4. trip. cap. 7.

ne totum per orbem insolentissimè hæresis Ariana bacchata est, imò & crudelissimè rabiosissimeq; sæuijt sub nomine pietatis. Sed Constantius, qui discissa pace & vnitate fidei Catholicę, Christianos aduersus Christianos armans, ciuili (vt ita dicam) bello Ecclesiæ membra dilacerauerat, totũ imperij sui tempus inquietum, molestissimumq; spatium vitę suæ, bellis ciuilibus etiam per propinquos & consanguineos excitatis exercuit, exegit, expẽdit. Hunc verò sequutus Iulianus, haud mirum, si pro vna Romana religione sibi nihil agendum putauerit: qui & nomen Christianũ, Apostata factus, omni suæ nequitiæ & prauitatis arte subuertere conatus est. Quin etiam, hoc quo fieret commodius, schismaticis Donatistis, quos esse sentiebat Catholicis infestissimos inimicos, permisit eam, quam expetiuerant, libertatem. Quid verò post hunc Imperator Iouinianus? Quod potuit pro religione fecit; res enim Ecclesiæ partim paganismo, partim hæresi mirè turbatas inueniens, templa quidem paganorum claudi iussit: Arianos verò propter ingentem vbiq; multitudinem, pręsertim sacerdotum & episcoporum, quos ea pernicies inuaserat, tolerauit. Tantum Catholicos de suis reuocauit exilijs, proprijsq; sedibus restituit; his etiam peculiariter fauens, suóque in illos fauore singulari & compescens hæreticorum impetus, & aliquos reuocans ad veram religionem. Imperij quoque breuitas (nec enim totum expleuit annum) meliores conatus exclusit.

clusit. At quoniam alij quoque postea nonnulli principes Arianismũ tolerauisse videntur: notanda sunt hęc illorum temporum incommoda. Primum, quod latissimè patebat Ariana lues, vt quæ Orientem vehementissimè, atque Occidentem non leuiter infecerat. Deinde, quod non vulgares homines haberet assertores; non mercatores solũ, aut coquos, aut lanios, aut sartores, aut opifices quoscunque vel laicos: sed sacerdotes ipsos atque episcopos, & clarissimos, & non paucos: vt non abs re durum satis videretur Imperatoribus, cum tot viris Ecclesiastica dignitate præfulgentibus seuerius colluctari. Præterea accedebat huc, quod, sicuti dictum est, Ariani Nicænam fidem profitebantur, Ariumque damnabant, eáque professio diu fucum fecit etiam optimis principibus. Qui autem ab ea recedere visi essent apertius, seueritatem principum experiebantur. Hinc & ipse Valens (Catholicis alioqui grauis, extincto præsertim fratre Valentiniano, cuius superstitis authoritate compressus est) Aëtium propter cõfessionę dissimilis substantiæ mulctauit exilio. Idemque animaduerti voluit in Eunomium: propterea, quod maiorem impietatem serere dicebatur, quàm vnquã fuerat ab Ario profecta. Postremò barbaricæ irruptiones, & bella ciuilia, Tyrannorumq; & ducum variæ factiones, magnas ijs temporibus & ingentes occupationes Romanis dedêre principib. Quo fiebat etiã, vt intermissa ecclesiastici status cura, Ariani quietius agere sinerentur.

Theo. lib. 3. cap. 29.

De his vide libr. 7. Pauli Orosij.

Sed quid tãdem Theodosius senior? Ad hunc cum accessisset Licaonum præsul Amphilochius, supplicauit Imperatori, vt Arianorum cœtus ex vrbibus eijcerētur; hanc petitionem imperator, quod nimis duram crederet, primò non admisit. Tum igitur sapientissimus Amphilochius (vt est apud Theodoretum) sijluit, excogitata memorabili arte. Introgressus enim in regiam, conspicatusq; astantem imperatori filium Arcadium, qui imperator paulò ante fuerat designatus, ipsum quidem imperatorem de more salutauit, nullo honore habito eius filio. Ibi imperator obliuione Amphilochij hoc factũ arbitratus, iubet eum & ad filium suum accedere, illumq; osculari: Cui Amphilochius satis respondit esse, quòd ipsi honorē detulisset. Quapropter indignatus imperator, neglectionem filij sui, insectationem interpretabatur. Ibi deinceps vir sapientissimus facti sui rationem declarauit, & cum clamore: Imperator (inquit) itáne fers grauiter neglectionē filij tui, tamq; vehementer succenses contumeliosis erga illum? Persuadeas igitur tibi omnipotentem quoque Deum odisse blasphematores vnigeniti filij sui, esseq; eis infensum tanquam ingratis erga saluatorem & benefactorem suum. His intellectis cum admiratione dictorũ factorumque, legem statim scribit imperator, qua hæreticorum cœtus prohiberentur. Hæc apud Theodoretum. Sed neque passim Arianis templa esse cõcessa, declarat Gainæ legionum præfecti petitio, qua sibi vnũ ex diuinis templis

Lib. 5. cap. 16.

Theo. lib. 5. cap. 32.

templis concedi postulabat: cui tum Imperator quidem annuisset, veritus ne quid aduersus imperiũ barbarus moliretur, si repulsam passus foret. Sed Ioannes Chrysostomus & petenti restitit mira libertate, & imperatori facilè persuasit, nequaquã huic Ariano, quãlibet formidabili, fuisse acquiescendum: Minimè (inquit) tu isti (rex) quicquam huiusmodi pollicearе, neque hortere me vt sancta canibus dem: non enim possum facere, vt verbum Dei diuina orationè asserentes atque celebrantes eijciam templo, & hoc tradam blasphematoribus illius. Igitur tum Ariani neq; intra vrbem templa habere, neque cœtus etiam facere permittebãtur, tantummodo extra ciuitatem collectas agebant. Sabbatho autem atque Dominica intra portas & porticus congregati, hymnos & antiphonas ex Ariano dogmate decantabant. Et hoc maxima noctis parte facientes (inquit Socrates) diluculo cum ipsis antiphonis per mediam ciuitatem egresi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cumq; hoc crebrò facerent ad vituperationem orthodoxorum, frequenterq; & illud occinerent: *Vbi sunt qui dicunt tria virtute vnum?* tum Ioannes Chrysostomus, ne simplices istiusmodi cantibus allicerentur, suum populum sic ipse quoque instituit, vt nocturnis hymnis exercerentur: quo sic & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Sed studium Ioannis vtile cum turba periculisq; finitum est. Cum enim homousianorum noctu celebriores hymni viderentur,

Lib. 10. trip. c. 8.

Ariani zelo perciti, ad vim familiarem sibi cædemque prosiliunt. Qua ex re nonnullis vtriusque partis extinctis, hac altera lege coercuit Arianos Imperator, ne cœtibus conuenticulisq; factis suos hymnos publicè decantarent. Si iam cæterorum alijs in regnis commemorare velim pium zelum aduersus Arianos, offeret se continuò Clodoueus Francorum rex: qui simulatque baptismatis sacramento initiatus, & rex consecratus fuit, declarauit subditis ferre se non posse, vt Galliæ partem Ariani liberè possiderent; occuparant enim eam ac tenebant VVisigotti, id temporis Ariano infecti veneno. Bello itaque aduersus eos suscepto, prælijs secundis vsus, Galliæ finibus expulit. Quod qui fecit, num tibi laturus fuisse videtur, vt inter suos Catholicos impunè illi religionem contrariam exercerent? & qui nec vicinos putauit etiam perferendos, is in ipsis regni sui visceribus eosdem pati potuisset? Iam (vt Arianos relinquamus) quid aduersus posteriores sectas principes reliqui? Theodosius iunior, nónne concilij Ephesini authoritate damnatum Nestorium, pulsum ex Oriente, exilio relegauit apud Oasim? Nónne & inde longius fuerat abducendus, nisi diuina vltio præuenisset? Tabefactis enim omnibus membris eius, maximeque lingua consumpta, in Oasi diuina manu percussus interijt. Marcianus similiter pius imperator, posteaquam essent Dioscorus & Eutyches ab synodo Chalcedonensi damnati atq; depositi, Dioscorum Gangras deportari iussit in exilium.

Vide Tu. li. 2. c. 37.

Niceph. de Marciano.

Fau-

Fauſtum quoq; Manichæum in exilium pulſum fuiſſe, teſtis eſt Auguſt. Confeſſus enim vel conuictus (inquit) quòd Manichæus eſſet, cum alijs nonnullis ſecũ ad iudiciũ proconſulare productus, eis ipſis Chriſtianis à quibus producti ſunt intercedentibus, leuiſsima pœna, ſi tamen illa pœna dicenda eſt, in inſulam eſt relegatus. Sed nihil hoc mirum de Manichæis, in quos pœna grauior erat imperatorum lege decreta. Valẽtinianus enim & Theodoſius Manichæos ciuitatibus exturbandos, vltimoq; afficiendos ſupplicio decreuerant. Igitur ne cuncta perſequendo ſim æquo prolixior (nam & de pijs Ottonibus afferri huc cõplura potuêre, & aliorum quorundam altero in libello meminimus) conſtat piorũ principum hoc ſtudium fuiſſe ſemper, vt vna Romana religio, hoc eſt, ea quæ à concilijs generalibus Romani pontificis authoritate celebratis definita & explicata eſſet, quoad poſſet vbique ſola vigeret, floreret, amplificaretur; vbique templa, cœtus, ſolennitates, haberet ſola. Quod ita Pipinus & Carolus Magnus accuratè egerũt, vt ne quid in Gallicana religione cerneretur Romanę religioni contrarium, ritus eccleſiaſticos Roma trãſtulerint in Galliam, iuſſerintque exactè ſeruari. Ac dignum duxi quaſdam hic principum leges (quoniam earum mentionem fecimus) interſerere, quo magis quod de Romana religione diximus, ex eorum quoque verbis eluceat. Igitur Gratiani, Valentiniani, Theodoſijque decretum eiuſmodi eſt: Cunctos populos,

Li.5.contra Fauſtum,c.8.

quos

Li. 9 tri-par. ca. 7. Codice de summa Trinit. et fide Cath. Tit. 4.

quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam diuinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio vſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamq́ue Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis. Hoc eſt, vt ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, euangelicamq́ue doctrinam, patris & filij & ſpiritus ſancti vnā deitatē ſub pari maieſtate, & ſub pia trinitate, credamus: Hanc legem ſequentes, Chriſtianorū Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes veſanosq́ue iudicantes hæretici dogmatis infamiā ſuſtinere: diuina primum vindicta (hoc eſt excommunicatione) poſt etiam motus animi noſtri quem ex cæleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectēdos. Huic legi & illa iungatur Martiani Augusti, Catholici plena feruoris, Chriſtianæq́ue pietatis, quam poſt concilij Chalcedonenſis conclusionem his tulit verbis, atq́ue promulgauit:

Actione 3. concilij Chalcedonenſis.

Tandem aliquando quod ſummis votis atq́ue ſtudijs optabamus euenit. Remota eſt de orthodoxa Chriſtianorum lege contentio, tandem remedia culpabilis erroris inuenta ſunt, & diſcors populorum ſententia, in vnum cōſenſum concordiámque conuenit. Diuerſis enim è prouincijs religioſiſsimi ſacerdotes Chalcedonam venerunt iuxta noſtra præcepta, & quid obſeruari in religione debeat, perſpicua definitione docuerunt. Ceſſet igitur iam prophana contentio; nam verè impius atque ſacrilegus eſt, qui poſt ſacerdotum ſen-

ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractãdum relinquit. Extremæ quippe dementiæ eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumẽ inquirere. Quiſquis enim poſt veritatem repertam, aliquid vlterius diſcutit, mẽdacium quærit. Nemo itaque vel clericus, vel militaris, vel alterius conditionis, de fide Chriſtiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nã iniuriam facit iudicio religioſiſsimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuolue re & publicè diſputare contendit, cum ea quę nunc de Chriſtiana fide ſtatuta ſunt, ac iuxta Apoſtolicas expoſitiones & ſtatuta ſanctorũ patrum 318. 150. definita eſſe noſcuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non ſolum contra fidem bene diſpoſitam veniunt: ſed etiam cum Iudæis & Paganis ex huiuſmodi certamine prophanant veneranda myſteria. Et hactenus quidem dictũ ſit de ſtudio Catholicorum principum ad Catholicam Romanam religionem ſuis in regnis conſeruandam.

Ad officium Eccleſiaſticorum præſulum pertinere, vt principes commoneantur, atque intelligant ſui muneris eſſe, vt per eos Chriſtiana ſeruetur religio, quibuſdam exemplis oſtenditur.

CAPVT XII.

QVam in rem vt incumberent, cùm ſuo zelo incitabãtur, tum mouebantur etiam Catholicorum præſulum monitis, quos propius cura rerum Eccleſiaſticarum & ſalutis omnium concernebat. Sic enim vt Ariano

rum

rum cœtus ex vrbibus eliminarentur Amphi lochius impetrauit: vt Nestorius eijceretur ex Oriente, propterea ꝙ eius adulterina doctrina multi corrrumperētur, Ioannes Antiochenus Episcopus imperatorem rogauit, vt Eutyches mulctaretur exilio, sanctissimus Leo pōtifex apud imperatorē suis literis & egit ipse, & agendum ostendit. Sanctus Agapitus pontifex, vt Anthemius Constantinopolitanus Episcopus exulare ob suam hęresim cogeretur, apud Iustinianū imperatorē effecit. Ille quoq; vir beatus, & suo tempore clarus abbas, Petr' Venerabilis, cum ad Arelatensem & Ebrudunensem archiepiscopos scriberet, aduersus hęresim cuiusdam Petri de Bruis, eiusmodi inter cætera adhortationē expressit: Vestrū est, ad quos præcipuè tā ex officio quàm ex singulari scientia, in partibus illis cura ecclesię Dei spectat, & à locis illis in quibus se latibula inuenisse gaudet, & prędicatione, & etiam, si necesse fuerit, vi armata per laicos exturbare. Sed quia maiorem operam eos cōuertendi q̄ exterminandi adhibere Christianam charitatem decet, proferatur (inquit) eis authoritas: adhibeatur & ratio: vt si Christiani permanere volunt, authoritati: si homines, rationi cedere compellātur. Certè opera & assiduis monitis D. Bernardi, Petri Abailardi, & Henrici Apostatæ hæreses, non modo Ecclesiasticis cēsuris fuere damnatæ, verum etiam per secula-res proceres, regnique patres profligatę & oppressæ. Sed & Beatus Dominicus, à quo, singulari Dei prouidentia, Dominicanorum ordo pro-

Li. 16. apud Paulum Diaconum.

Vide epistolā 197. cum aliquot sequentib. 75. 140.

profluxit, ad Albigensium fœdam sectam eliminandam, Comiti Montfortio & alijs pijs nobilibus magnus fuit incentor & adiutor. Tandemq; fuit ea secta seditiosissimorum hominum Ludouico rege, consilijs pientissimæ matris eius Blanchæ suppressa, Romanaq; religio suæ tranquillitati reddita. Deniq; seculi potestatem ad episcoporum commonitionem, defensionis suæ aduersus hæreticos officium præbere oportere, declarat Lucij tertij decretum, in quo expressum est eiusmodi verbis: Statuimus insuper, vt comites, barones, rectores, & consules ciuitatum & aliorum locorum, iuxta commonitionem episcoporum, præstito corporaliter iuramēto, promittant quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adiuuabunt bona fide iuxta officium & posse suum. Si verò id obseruare noluerint, honore quem obtinent spolientur: & ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Ciuitas autem quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra cōmonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum: & Episcopali se nouerit dignitate priuandam. Hoc igitur sacerdotum semper fuit officium, docere quid principes seculares q; Magistratus pro tuenda Ecclesia facere deberent, suiq; huius debiti illos, cum res postularet, commonefacere: ne quid per somnolen-

Cap. Ad abolendā

nolentiam eorum Ecclesia caperet detrimenti. Propterea sane Petilianus Donatista, sacerdotes Catholicos vocauit carnifices, qui fuerunt authores (vt aiebat) imperatoribus, vt in ouiculas innocentes tam grauiter sæuirent: quas etiam suis pœnis & sanguine ęternas cęli diuitias mercari gloriabatur. Nec sum quidem nescius grauiter reprehensos, esse Idacium & Ithacium Episcopos, quorum factione (vt ait D. Hieronymus) Priscillianus cum alijs aliquot eius assectis, à Maximo tyranno cæsus est Treuiris. Qua de re scriptum est à Sulpitio Seuero prolixius. Quin & D. Ambrosius cùm eodem tempore apud Treueros legatione fungeretur nomine Imperatoris Valentiniani, separauit sese ab his Episcopis, qui ad necem (ait) quosdam petebant, licet deuios à fide. Sed horum inconsiderato zelo, variè proculdubio peccabatur. Primùm, quòd Ecclesiæ causam cognosci vellent à secularibus iudicibus. Hoc enim beatus Martinus, qui tum agebat Treueris, nouum & inauditum nephas aiebat esse, vt causam Ecclesiæ iudex sæculi iudicaret. Deinde accusationem ipsi suscipiebãt in causa sanguinis, necẽ miserorum in iudicio flagitatione sua postulãtes. Id quod à sacerdotibus esse debet alienissimum, quodque si faciunt, meritò irregularitatem incurrunt. Nam si Theodosius Imperator, præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit se consortio sacramentorũ, donec Domini circa se gratia, filiorum exprimeretur ad-

Lib. 2. contra literas Petiliani cap. 19. & 99.

In catalogo script. eccles.

Epist. 27. quæ est ad Valentinianum imperatorẽ, vbi suæ legationis rationem exponit.

Amb. in oratione funebri.

aduentū: quid pati Episcopus debebit, qui se ad alienum sanguinem fundendum, aut seuerum iudicem, aut accusatorio munere præbuerit inimicum? Hoc enim inter secularem & Ecclesiasticam potestatem interest, quòd illius quidem terribiliter gerēda est administratio, huius clementer (vt August. ait) commendanda est mansuetudo. Ideóque, vt est apud Prosperum in Chronicis. Timasio & Promoto consulibus, Ithacius & Vrsatius Episcopi ob necem Priscilliani, cuius accusatores fuerant, Ecclesiæ communione priuati sunt. Sed ipsum iam Sulpitium audiamus: Priscillianus (inquit) ne ab episcopis audiretur, ad principem prouocauit, permissúmq; id nostrorum inconstantia. Quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, alijs episcopis audientiam reseruare, non causam imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes quos causa inuoluerat ad regem deducti: sequuti etiam accusatores Idaicus & Ithacius episcopi. Quorum studium in expugnandis hæreticis nō reprehenderem, si non studio vincendi plus quàm oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quàm accusatores displicere. Certè Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio. Fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eousque processerat, vt omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositū erat

Lib. sacra hist.

certare ieiunijs, tanquam Priſcilliani ſocios aut diſcipulos in crimen arceſſeret. Auſus etiam miſer eſt, ea tempeſtate, Martino Epiſcopo, viro plane Apoſtolis conferendo palam obiectare hæreſis infamiam. Namque tum Martinus apud Treueros conſtitutus, non deſinebat increpare Ithacium, vt ab accuſatione deſiſteret. Maximum orare, vt ſanguine infœlicium abſtineret; ſatis ſuperq; ſufficere, vt epiſcopali ſententia hæretici iudicati Eccleſijs pellerentur: nouum eſſe & inauditum nephas vt cauſam Eccleſiæ iudex ſeculi iudicaret. Præclarè hic Martinus manſuetiſſimi patris, qualẽ eſſe decet Epiſcopum, functus officio eſt. Quod etiam non neglexit D. Auguſtinus, pro Donatiſtis ſubinde ſupplicans, vt eſſet eorum damnatio præter ſupplicium mortis: aliàs etiam reſcribens, vt eis parceretur. Fuitque temporibus illis cauſa peculiaris, quamobrem ita faciendum eſſe Epiſcopi ſanctiſsimi iudicabant. Nempe vt etiam ijs qui foris erant, hoc eſt gentilibus, quorum erat paſsim adhuc frequens numerus, commendaretur manſuetudo Eccleſiæ: quæ ſuis inimicis & infeſtiſsimis etiam hoſtibus, cuiuſmodi tum erant circumcelliones Donatiſtæ, parceret, tantumque abeſſet vt vindictam reponere velle videretur, vt etiam quo parceretur illis, ſupplicaret. Accedebat, Auguſtini quidem iudicio, vt ita putaret eſſe faciendum, quòd ſanctorum paſſiones, qui violentis circumcellionum incurſibus aut trucidati, aut mutilati, læſiq; erant

Epiſt. 158.

grauiſ

grauiter, nollet inimicorum expetito ſanguine obſcurari, ſed claras omnibus illuſtreſque proponi, quo prodeſſent exemplis patientiæ. Quapropter in epiſtola quam ad iudicem Apringium ſcripſit, hunc alloquitur eiuſmodi verbis: Nunquid placet tibi (legenda ſunt enim geſta ad ſanandas animas, quas peſtifera ſuaſione vulnerarunt) nunquid placet tibi, vt ad finem geſtorum, ſi cruentum iſtorum ſuppliciũ continebit, legendo peruenire timeamus? Vbi ponimus (inquit) & ipſam conſcientiam, ne malum pro malo qui paſsi ſunt, reddidiſſe videantur. Atque in eadem epiſtola: Si nihil aliud (inquit) conſtitueretur frenandæ malitiæ perditorum, extrema fortaſſe neceſsitas vt tales occiderentur vrgeret. Quanquam, quod ad nos attinet, ſi nihil iis mitius fieri poſſet, mallemus eos liberos relaxari, quàm paſsiones fratrum noſtrorum, fuſo eorum ſanguine, vindicari. Nunc verò quãdo aliquid fieri poteſt, quo & mitis commendetur Eccleſia, & immitium cohibeatur audacia; cur non flectas in partem prouidentiorem, leniorem que ſententiam? Quod licet iudicibus ſeculi facere, etiam non in cauſa eccleſiæ. Sic igitur illi tum epiſcopi, planè ſuo hoc exemplo demõſtrantes, apud ſeculi iudicem magis Epiſcopum decere pro reo ſupplicare ne perimatur, quã accuſatione vrgere vt occidatur: etiamſi ea ſit rei cauſa, vt digniſsimũ eſſe morte prouidentiores non dubitent. Nam quis iniuſtũ eſſe cenſuiſſet, interficere circumcelliones

G 2 non

non modò schismaticos insolentissimos, verùm etiam crudelissimos homicidas? Nec de Priscilliano quidem quisquam dubitabit quin is fuerit extremo supplicio dignissimus, qui obscæna eius libidines & flagitia infanda cogitabit: Gemino enim (vt ait Sulpitius) iudicio conuictus, confessus est se obscænis studuisse doctrinis, nocturnosq; etiam turpium fœminarum egisse conuentus, nudumq; orare solitum. Sed non defuerunt ijs temporibus, qui iniquissimè damnatũ conquererentur. Tanta enim in homine fuit hypocrisis, tantáque ad occultandas turpitudines industria (propter quod etiam illud habebat familiare; Iura, periura, secretum prodere noli) vt quàmuis esset nequissimus, tamẽ sanctissimus esse crederetur. Nec alia multò de his qui eum sequebantur, passim gerebatur opinio. Et Ambrosio quidem Mediolanensi, ac Damaso Romanæ vrbis Episcopo frustra conatus est fuco pietatis illudere. Sed si non alijs imposuisset, non Latini Drepanij ad Theodosium in Paneg. hæc verba legerentur: De mortibus virorum loquor? cum descensum recorder ad sanguinẽ fœminarum, & in sexum cui bella parcunt, non parcè sæuitum. Sed nimirum graues suberant inuidiosæq; causæ, vt vnco ad pœnam, clari vatis matrona raperetur. Obijciebatur enim atque etiã exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta diuinitas. Quid hoc maius poterat intendere accusator sacerdos? Fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui

nomi-

nominibus Antistites, reuera satellites atque adeo carnifices, non contenti auitis euoluisse patrimonijs, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum iam pauperum: quin etiam cum iudicijs capitalibus adstitissent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant. Hæc igitur atque eiusmodi cō miserationem faciunt, atque etiam iniustæ mortis opinionem pariunt ijs hominibus, qui non satis attendunt quanta sæpe doctrinæ pernicies, quæ ad animarum neces omni crudelitate grassatur, piæ velamento commiserationis obtegatur. D. certè Hieronymus Priscillianum dicit gladio seculi & totius orbis authoritate fuisse damnatum. At post mortem eius (inquis) magis multo secta inualuit? Mouet enim & hoc nonnullos, vt saltem nō expedisse dicant illum è medio tolli: Quia (vt ait Sulpitius) Priscilliano occiso, non solum non repressa est hæresis, quæ illo authore proruperat, sed confirmata, latiusque propagata est. Namque sectatores eius, qui eum prius vt sanctum honorauerant, postea vt martyrem colere cœperunt: peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequijs celebrata eorū funera. Quin & iurare per Priscillianum summa religio putabatur. Verùm si propterea tolli non expedire censent ab homine non solum fœdissimum libidinum mācipium, sed perniciosissimum etiam hæreticum, turpitudinisque doctorem: quid de ipsius Dei circa Arium iudicio dicturi sunt? Hunc enim non homo sustulit è medio, sed

supplicio mortis. Quæ si vera est, & si hominem hæreticum occidi iustum est: id deinde videndum erit num expediet, num vt id fiat, aliquando Ecclesiæ postulabit necessitas. Quod si erit, cum ad episcopos pertineat, vnumquemque sui officij commonefacere, iuxta doctrinæ sanæ rationem, profectò nihil erit ab illorum munere alienum, si quandoque principem, etiam gladij sui admoneant, ad exterminandos veræ religionis corruptores; proferentes cum D. Apostolo: *Rom.13.* Ministros esse illos Dei in eos qui malè agũt, nec sine causa gladium portare. Neque enim cum hoc faciunt, fines excedunt crediti sibi ministerij, quo iubentur docere, monere, arguere. Ideóque non dubitauit Augustinus *Epist.129.* Olimpium comitem adhortari, vt leges Cæsaris aduersus gentiles & Donatistas euulgaret; potuisset idem profectò & ipsum admonere Cæsarem, vt easdem conderet leges, quibus coerceretur insolẽtia schismaticorũ. Porrò de iustitia qua puniatur morte crimẽ hæreseos, & antè diximus aliquid, & hic modo non pigeat adiungere: qui hæresim ac schisma non putet vltimo supplicio puniri iustè posse, hunc non intelligere satis, quæ horum scelerũ magnitudo et grauitas: quanta ad inficiendum pestis: quanta ad Rempublicam funditus euertendã vis existat. Quid enim imprimis concipi animo potest hæresi & schismate grauius? quorum altero fides, qua Deum salutisq; consequendæ rationem cognoscimus: altero charitas, qua Christo

eiusq́ corpori, quod est ecclesia, coniūgimur, radicitus ex animis euellitur. Fides iustitiæ ac spiritualis in nobis ædificij fundamentum existit. Hæresis hoc sublato fundamento, vix inanem pietatis imaginē ac fallacem virtutis simulationem relinquit. Quin & præteritis aliquando seculis, & his nostris infœlicissimis, eousque progressa est, vt furorem pro virtutis zelo, fornicationes sacrilegas & adulteria pro choris immaculatis & honestis, cædes & latrocinia pro iustissimis animaduersionibus præ se tulerit. Fide religio constat, hæresis eandem corrumpit. Fides Christi in terris familiā continet, eiq́ adiungit alienos, hæresis dissoluit eandem, ac dissipat benè coniunctos. Illa virtutes veras parit ac fouet, hęc studia sancta eneruat, vitiorumq́ mater existit. In illa humilitas Christiano homine digna conspicitur, qua se in arduis quibusque suscipiendis diuinæ authoritati submittit: in hac intolerabilis superbia cognoscitur credere recusantis quod non intelligit. Fide Catholica incolumi, reliqua si exciderint, facilè resarciuntur: hæresis cum fidē subuertat, tanquam sublatis vitæ principijs, nihil aliud quàm salutis desperationem, quātum in ipsa est, facit. Quæ verò pestis aut celerius inficit, aut suo contagio exitium affert alijs præsentius? Nónne hanc ait Apostolus Cancri instar serpere? qui morbos simulatque corporis humani partem aliquam corripuerit, continuò sensim atque occultè in reliquas partes inserpit, atque vbi inualuerit paululum, serò tum

medicinam paraueris. Sic vbi vnumquempiam hæreſis vitiarit, lubrica deinde in alios facilitate prolabitur. An non vnicus homũcio Arius erat? at non vna cum illo ipſius hæreſis interijt; non longi enim temporis ſpacio vniuerſum prope terrarum orbem inuaſit; aulas, tribunalia, florentiſsimas eccleſias, publica & priuata omnia occupauit: velut ſcintilla, cũ eam diu materies ſicca fouerit, repentè in maximum totius ædificij incendium exardeſcit.

Noſtræ verò cladis nónne perparua in Luthero initia fuêre? collucebat in ijs primùm velut exigua quædam erroris ſcintilla, quę ſi vt conſpecta eſt, mox compreſſa fuiſſet, non has quas videre cogimur, eccleſiæ ruinas videremus. Sed cum ille maledicti Cham conceptus animo calor, ille peſtilentiſsimus hæreſeos ignis ſenſim & paucorum in pectoribus aleretur, & increſcens viciniora quæque corriperet, continuò ſape etiam ad diſsitos velut ardentes flammarum globos euomuit, continuò ſpargi ignes, miſcerique incendia longè latèq; cœperunt. Nam quoniam eccleſiaſticis & Catholicis inſtitutis, difficultas & aſperitas atque amaritudo quædam viſa eſt corruptis mentibus permiſta eſſe, aduerſa verò mira facilitate, leuitate, voluptate condiebantur; illis offenſi, his deliniti pleriq; rapiebantur in præceps: & bonorum verorumq́; ſpecię falſi, mala pro bonis, falſa pro veris, noxia pro ſalutaribus paſsim amplectebantur. Itaque permulti homines in vitia proni, & quibus aures ad noua audienda pruriebant, no-

Au. li. 16 de ciu. c. 2

uitiorũ errorũ venena ſibi à diaboli miniſtris propinata, auidè celeriterq́ ſuſceperũt, ſuſcepta & hauſta intimis viſceribus cõceperunt, concepta vſuq́ firmata, tanta nunc inhæreſcunt tenacitate, vt eximi nec authoritate nec ratione poſſe videantur. Quã autẽ ſit hæreſis turbulenta: quanta quamq́ fœcunda ſeditionum ac diſsidiorum parens: q̃ vis in illa inſit ad bellorum ciendos motus, ad regna collidẽda & perdẽda, ad miſcẽda turbandaq́ omnia, qs noſtrum hoc ſuo tẽpore nõ ſuo dãno, aut certè ſine grauiſsimo animi dolore experitur. Neq́ verò hęc nunc primum facit, ſed natiuũ hoc illius ingenium eſſe, ex præteritis cognoſcitur ætatibus. Quantum enim calamitatis in orbẽ Chriſtianũ inuexerit dogmatis Ariani ſuſceptio, ſcriptores veteres memorię prodiderunt. Tunc enim nõ ſolùm paruæ res, ſed etiã maximę labefactatę ſunt. Nec tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verũ etiam vrbes, populi, prouincię, nationes, vniuerſum poſtremò Ramanum imperiũ funditus concuſſum & emotũ eſt. Namq́ cum prophana ipſa Arianorũ nouitas, velut furia quędã, capto prius omniũ imperatore, cũcta deinde palatij culmina nouis legibus ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere atq́ vexare, priuata & publica, ſacra prophanaq́ omnia: nullum veri ac boni gerere diſcrimen, ſed quoſcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, prophanatæ virgines, dilacerata monaſteria, diſtur-

Vincẽtius Lirinẽſis.

þati clerici, verberati Leuitæ, acti in exiliũ sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis vrbibus protrusi atq; extorres, inter deserta, spelūcas, feras, saxa: nuditate, fame, siti affecti, contriti & tabefacti sunt. Atque hæc omnia non ob aliud, nisi profectò, dum pro cælesti dogmate, humanæ superstitiones introducũtur: dum bene fundata antiquitas, scelesta nouitate subruitur: dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita patrum, conuelluntur definita maiorum, dum sese intra sacratæ atque incorruptæ vetustatis castißimos limites, prophanæ ac nouellæ curiositatis libido non continet. Quid verò de Donatistarum immanitate multa commemorẽ? cum enim iam sese nonnihil eorum remisisset rabies, atque ab eorum sæuitia in aliquantam libertatem populus Christianus respirasset, multiq; eorum qui prius illorum partibus adhæsissent, ad Catholicam reuerti velle cœpissent, tantis repentè sunt odiorum stimulis incitati, vt contra eorum insidias apertißimaque latrocinia vix vllæ ijs locis Ecclesiæ possent esse securæ: vix vlla via tuta, qua iter agerent, quicunque aduersus eorum rabiem pacem Catholicam prædicarent, eorumque dementiam perspicua veritate conuincerent: vsqueadeo prorsus non modo laicis, vel quibuslibet clericis, sed ipsis quoque Episcopis Catholicis quodãmodo proponebatur dura conditio. Aut enim tacenda erat veritas, aut eorum immanitas perferenda. Aug. epi. 50.

Tam

Tam sæpè aliàs eiusmodi fructus nobis hære sis peperit, vt vbi talia facta non sint, non voluntas defuisse, sed facultas abfuisse credenda sit. Sæuire Donatistæ aliquando se nolle dicebant, ego verò (inquit Aug.) non potuisse arbitror. Nulla bestia si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, quia dẽtes & vngues non habet. Hoc igitur crimen tantæ impietatis plenum, vt ipsius pietatis fundamentum radicemque tollat: tam pestilens ac perniciosum, vt nisi attentissimè quisquam caueret, procul'q; separetur, in periculum perdendæ salutis adducatur: Hoc tam inquietumq; malum, turbulentum, rerumq; mutationis auidum, non exilio, non vinculis, non facultatum amissione, non omni persequutione, adeoque ipsa morte dignum censebimus? Ergo puniuntur isto modo homicidia, adulteria, furta: sola sacrilegia impunita remanebunt? Quid quod facultatibus exuantur, quod supplicijs excruciati summa æquitate necentur, id nos permouebit; quod verò simpliciorum animos mortiferis suasionibus perdiderint, pro nihilo putabimus? Cur indignus videatur morte corporis, qui animi grauissimam mortem intulerit? Sed hominum multitudo non in corde cor, sed in oculis habet. Si enim sanguis exit de corpore mortali, continuò quisquis aspicit exhorrescit; si verò à pace Christi præcisæ animæ atque separatæ, in hæresis vel schismatis sacrilegio moriũtur, quia non videtur, non plangitur. Imò verò mors tetrior atque funestior, &, vt plane dixerim,

Ca.17. li.1 cõtra epi. stolã Par. meniani

vetior iure consuetudinis deridetur: sic homines sumus, ijs solis, quæ sub sensus cadunt, permouemur. A morte (inquis) ac persecutione dignissimos quidem confiteor, sed hâc inferre cuiquam ob schisma aut hæresim; humanæ potestatis esse, id verò pernego. Quid igitur (inquam) est, quod in epistola ad Romanos Paulus ait? Omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt: Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, nõ enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Cum igitur apertissimè his verbis gentium Apostolus, diuinitùs tributam affirmet principibus potestatem supplicium de ijs sumendi qui malè fecerint, tota in eo posita quæstio est, nihilne mali hæreticus aut schismaticus faciat. Nisi autem malum esset, atque id quidem grauissimum schisma facere, non diuinis in litteris legeremus Dathan & Abyron, cum se schismate ab reliquis segregassent terræ hiatu deuoratos; cæterosque omnes qui illis consensissent, igne de medio ipsorum existente, consumptos. Quo quidem tam præsenti horrendoque supplicio declaratum est, quantis illi vltimis supplicijs reseruentur, quibus, Cap. 13. Ibidem.

cum

cum eodem in scelere sint, patiẽtissimè tamẽ in hac mortali vita parcitur. Si nihil mali hæreticus faceret, non Hymenæum & Alexandrum, qui circa fidem naufragium fecerãt, Apostolus Sathanæ tradidisset, vt discerent nõ blasphemare. Quod si malè ac scelerate prorsus & hæreticus & schismaticus facit, timeat vterque principis potestatem, non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit. Rectè igitur D. Augustinus, Terrenę potestates (inquit) cum schismaticos persequuntur, ea regula se defendunt, qua dicit Apostolus: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & ea quæ iã semel retulimus. Rectè & Bernardus pronunciat satius esse vt gladio coerceantur, illius videlicet qui non sine causa gladiũ portat, quã in suum errorem multos traducere permittãtur. Ac de iustitiæ quidem ratione satis. Quid autem aliquando opus facto sit, quidq́ue expediat, ea prudentiæ subiecta quæstio est. Nã vel pro hæreticorum ingenijs doctrinæq́ue peruersitate, vel pro tempornm conditionibus maior vel minor adhibenda est coercio. Augustinum quidem ipsum fecit olim experientia hac in causa prudentiorem, cuius & illa sententia est: Cogunt sæpe diuersas inuenire medicinas variorum experimenta morborum.

Epi. 154.

Videre est hoc Retrac. li. 2. ca. 15.

IN-

INDEX CAPITVM.

Iuxta

FINIS.